Ray

Poemata et Opuscula
Georg. Buchanani

4. 2. — 7

liber rarissimus.

THEODORI BEZÆ VEZELII Poematum

Editio secunda, ab eo recognita.

Item,

EX GEORGIO BVchanano aliisque variis insignibus poetis excerpta carmina, præsertimq; epigrammata.

ANNO M. D. LXIX

EXCVDEBAT HENR. STEPH.

Ex cuius etiam epigrammatis Græcis & Latinis aliquot cæteris adiecta sunt.

BIBLIOTEKA KÓRNICKA
14032

di ſtili exercendi genus ſedulò cohortante do ctiſſimo & optimo viro Meliore Volmario Rufo, Rotuillenſi, quo tum præceptore Biturigibus vtebar. Inde circiter annũ ætatis decimumſeptimũ quum ex patris voluntate Aureliam veniſſem iuri ciuili operam daturus, ibíque nõnullos eruditos homines eodem ſtudio flagrantes, ſed iudicio iam confirmatos, & eruditione præſtantes inueniſſem, Io. Dampetrum, feliciſſimum hendecaſyllabων poetam, cœnobii tũ illi oppido proximi rectorẽ, (cuius obitum poſtea deploraui) Antonium Agianthũ, Rhotomagenſis poſtea curiæ præſidem primariũ, non ita pridem defunctum, Ioannẽ Truchium, Macutum Pomponium, Ludouicum Validum, adhuc (opinor) ſuperſtites, & ſummis in Gallia dignitatibus ornatos: ſtudium illud poetices non modò non deſerui, verùm etiã quaſi coorta quadam inter nos æmulatione, ſumma contentione ſum perſequutus, ídque (quod ſine inuidia dictum ſit) adeo non inuitis Muſis, vt teſtibus etiã illis doctiſſimis viris (quorũ ad me plurimos amã tiſſimè ſcriptos verſiculos adhuc inter χειμήλια repoſitos conſeruo) iam tũ in eo ſcribendi genere nonnihil præſtare poſſe viderer. Propoſuerã autem mihi in bucolicis & ſyluulis qui-

busdã scribendis imitandũ poetarum omniũ
principẽ Virgilium, grauius nihil dum medi-
tans: in elegiis autẽ Ouidium, cuius ingenii v-
bertate magis quàm Tibulli munditie capie-
bar. In epigrãmatωn verò lusib⁹, quod scribẽ-
di genus præcipuè quadã ingenii procliuitate
amplectebar, Catullũ & Martialem vsq; adeo
probabã, vt quoties à grauiorib⁹ studiis (erant
enim hæc παρεργα) deflectebam, nusquã liben-
tius quàm in horũ veluti hortulis exspatiarer.
Etsi enim (quod verè dico) illorũ obscœnitate
sic offendebar, vt oculos etiam ipsos à quibus-
dã inter legendũ auertere, tamen vt illa ætate
non satis cautus, ita illius quidem melle, istius
verò salibus capiebar, vt in scribẽdo quàm si-
millimus eorum (de ipso charactere loquor)
euadere studerem. Ita mihi lõgè maxima ex
parte scripta sunt illa πιπιάπα quę aliquot pòst
annis edidi, nec illa duntaxat, verùm & alia
nonnulla, quæ vel iam olim perierunt, vel
adhuc fortassis in quorundam amicorũ ma-
nibus versantur. Tantum enim aberat vt ea,
siquando effudissem, apud me reponerem, vt
contrà, quum illa edere cõstituissem, partim
ex memoriæ penu mihi fuerint depromẽda,
partim ab amicis emendicanda. Occasionem
autem editioni præbuit in primis Melioris il-

matum à me editorum mentionem feci, ne res ea fortassis Ecclesiæ fraudi esset, quòd quædam in eis inessent amatoria, & sanè interdum licétiosius, ad veterum videlicet poetarũ imitationem, conscripta. Placuit fratrum cœtui vt nihilominus eam in Ecclesia functionem susciperem: tum quòd iniquum planè videretur, ei qui ad Christum à papismo veluti paganismo transiisset, vitæ alioquin honestè & inculpatè transactæ, erratum istud imputare: tum quòd vltrò sponderem facturum esse me vt quantum ea mihi incogitantia displiceret, publicè quibusuis appareret. Iam tum enim coniiciebam fore quod postea euenit, vt ii ipsi qui nostros antea versiculos in deliciis habebãt (quandiu nimirum in ipsorum lustris versabar) mihi postea, Euangelii odio, illorum editionem exprobrarent: nempe quòd aliud nihil quod mihi obiicerent, nisi manifestè confictum, inuenirẽt. Quod autem spoponderam an reipsa præstiterim, testabitur præfatio duplex, vna quidẽ Gallica, Tragœdiæ cui titulus est Abrahamus sacrificãs, præfixa, & ante annos octodecim à Conrado Badio excusa: altera verò Latinæ meæ Cõfessioni addita, & iampridem quoque in publicum emissa. Ex quo verò singulari Dei beneficio

ad verum hũc Christianismum transii, quem me (per Dei gratiam) publicè & priuatim præstiterim, minimè recuso quin vel ipsi aduersarii quam diligentissimè inquirãt. Quod enim me Lausanna pulsum aiunt, falsissimè & impudentissimè ab iis cõfingi, testes esse possunt nõ ipsa modò ciuitas Lausannẽsis, adhuc mihi amicissima, verùm etiam amplissimus ipse Senatus Bernẽsis, cuius in me beneuolentiam quotidie experior. Meam verò in Galliam profectionem, eámque non mea sponte, sed ex reginæ matris, itémque regis Nauarreni aliorúmque procerum voluntate & auctoritate susceptam, tãtopere ab istis reprehendi, nemo sanè mirabitur, qui & quantum hac ratione sit ipsorum tyrannis debilitata, & quæ sit eorũdem in quibusuis calumniis commiscendis audacia cognouerit. Sed de istis aliâs. Ad nostra poemata reuertor. Clamitant boni cacolycæ siue apostaticæ fidei defẽsores, nempe Ecebolius ille Balduinus, (duobus fictitiis geniis septus, quibus Gabrielis & Michaelis nomina fabricatus est) & bon⁹ ille fraterculus Claudius de Xainctes, Sorbonicæ illius cloacæ, quod ille Romanæ curiæ Glaucia, Bezam à pueritia imbibisse vatum impudicitiam & impudentiam, totámque ætatem ex-

hominem defensione mihi persuasi. Inter elegias tunc editas vna est quã lusi sub Publiæ nomine. Eã fingit bonus ille fraterculus esse viuẽtis viri vxorem, quam polluere adulterio & à viro abducere modis omnibus sim annixus. Deus meliora. En, siquis est mortaliũ qui vel leuissima adulterii suspicione Bezã meritò possit aspergere, nullum tribunal recuso. Et tamen si tum ita factum quippiã esset, quo iure, (quæso) isti in me reprehenderẽt quod nõ modo illic vbi versantur, flagitiũ non est, verùm etiam laudi ducitur? Age igitur, illa (quod tamen absit) vera esse concedamus: nec illa veteris poetæ in re simili defensio quicquam valeat,

Lasciua est nobis pagina, vita proba est.

(Nam certè, vt & ipse aliquando cecini,

Quæ fecisse nefas, fingere facta nefas)

quæ hæc tamen illorum impudentia est, illud ipsum in Beza tam grauiter accusare, quod in suis omnibus vltrò ferant? Quos enim scriptores Lutetiæ in gymnasiis, in pulpitis interpretantur? quos plerique in manibus versant? quænam ibi diu noctúque personant? Quem ordinem isti mihi in toto suo clero nominarint non omni libidinum genere contaminatissimum? Et vt ad poetas descendam,

quos ipsi poetas his viginti annis excuderunt? quos in deliciis habent? quos in cælum efferunt? Quum cuiusdam Oliua, quum eiusdem epigrammata Latina, quibus inter cætera sacræ virginis raptum describit: (cuius alioqui doctrinæ & ingenio nihil detractum velim) quum alterius, melioris sanè poetæ quàm viri, amores, præfixa etiam Cassandræ seu fictitiæ, (sic enim potius arbitrari malo) seu veræ scortatricis, seu adulteræ, imagine: quum alia eiusdem innumerabilia penè carmina ederentur, (edi autem etiámnum quotidie, nec quicquam per compita vulgarius illic circumferri, ne ipsi quidem inficiabuntur) quando tandem istorum quispiam intercessit? quum vel senatus, vel regium quoque priuilegiũ illis scriptis præfigitur, quis istorum hoc reprehendit? quósnam libellos, & iuuenes & senes, pueri, virgines, viri, mulieres illic manibus terunt? Quid? quósnam alios conduxerunt qui Caluino & Bezæ gratis maledicerent? & iidem illi ad maledicendum conducti, annon hodie pinguissimas quasque Abbatias & Episcopatus iis ipsis venantur & consequuntur, quæ verè & re ipsa patrata, tam patienter in illis ferunt, tam seuerè in nobis vel ficta reprehẽdunt? Extant Gallicæ quædam nugæ ex Hispano sermone conuersæ, & crassis ali-

ſtitutione rubrum galerum & epiſcopatum Oſtienſem ab Alexandro redemiſſe: alteram ſororem conſtupratam veneno ſuſtuliſſe: Petrum Aloyſium, digniſſimum tali patre filiũ, ex circumuenta nobili muliere Anconitana, ſub pacti matrimonii ſpe ſuſtuliſſe, (cuius etiã filium mirum ni breui adorabitis) in Lauræ neptis concubitu à marito Nicolao Quercæo fuiſſe deprehenſum: denique, vt ſua ipſius filia Conſtantia liberius potiretur, generum Sfortiam veneno necaſſe. Hęc ſi audebitis inficiari, age ſolem quoque negate meridie lucere. Iulium verò tertium nõ diſſimulanter ſuum Ganymedẽ apud ſe habuiſſe, eundémque galero cardinalitio donaſſe, qui nunc etiam ſit ſuperſtes, & Cardinalis A monte ex creatoris ſui nomine nuncupetur, an audebitis negare? Extat excuſum Sodomiæ encomium Ioannis à Caſa Florentini, rhythmis Italicis (vt idonei teſtes ſcribunt) vnà cum Berniæ capitulis quæ vocant editum. Et tamen eum cacolyci Beneuentanum archiepiſcopum, cameræ Apoſtolicæ decanum, & ſummũ in Venetorum dominio ad Lutheranos perſequendos legatum deſignarunt: papam etiam fortaſſis futurum, niſi mõſtrum illud hominis mors intercepiſſet. Quid? Petri Bembi Cardinalis, viri

alioqui

alioquin docti & eloquentis, amatorios versiculos impurissimos non laudãt, non cantillant in Italia sacræ cacolycæ Ecclesiæ antistites? Sed quorsum nos ista tam procul? Mallarium, quem vulgo ipsi papistæ non infaceti Gomorrhæum doctorem vocabant, duobus abhinc plus minus annis mortuũ, Sorbonicæ caulæ decanum, quis tandem Lutetiæ nesciuit Sodomię reum factum, nobili accusatore vix tandem precibus multis delinito, non sine manifesta eorum infamia qui theologicę, quam vocant, facultatis honori sese hoc tribuisse apertè fatebantur, publico iudicio exemptum? Quid verò? Magistri nostri Hugonis Franciscani incestus cum abbatissa cœnobii Lutetiæ proximi non est publico Senatusconsulto testatus? & tamen is habetur etiam illic hodie cacolycæ ecclesiæ columen. Illius autem ἀλάστορος Cardinalis, quo nunc vno cacolyca in Galliis Ecclesia nititur, libidines, stupra, adulteria, annon publicis æterníque monumentis satis supérque sunt testata? Denique, vt vno verbo omnia, Lutetiæ quid non? Et tu ignoras, Eceboli, ex cuiusmodi socrus manibus vxorem acceperis? Sed ista meritò scilicet in vrbe omnium quæ sub cælo sunt (nisi fortè Romam excipias) perditissima pati potestis: à Beza autẽ Euangelium doceri

in ea ciuitate in qua magnis pœnis ſcortationes, capitali ſupplicio abſque vlla veniæ ſpe adulteria puniuntur, pati non poteſtis. Nempe quòd Romanã meretricẽ adorãtibus quæuis (vt loquimini) venialia ſint peccata: nobis verò ne reſipiſcere quidem liceat, qui vnà cũ papatu omnes illius ſordes depoſuimus. Sed de his plus ſatis. Ego verò, canes, vt latrare nõ deſinatis, iter illud tamen quod veſtro, per Dei gratiã, relicto ſpecu, ſum ingreſſus, ad extremum vſque, fauente Deo, perſequar: &, præeunte mihi Apoſtolo, per bonam & malam famã, bona conſcientia fretus, ambulabo, donec vel eo mortis genere quod mihi iãpridem minamini (ſi Domino ita videbitur miniſteriũ meum coronare) vel alio quouis modo ad æternam quietem euocatus, in Chriſto, vnica mea ſpe, conquieſcam. Nunc verò tandem ad te venio, vir ampliſſime. Duæ me cauſæ, rariſſimè nunc alioqui Muſarũ diuerticula repetentem, ad iſtas edendas nugas impulerunt. Quum enim illi non tã mei quàm Chriſtianæ veritatis capitales hoſtes non paterentur priores illos meos abortus ſponte ſua interire, putaui manu potius mea interimẽdos, quum & hoc ipſi tot flagitiis ſint cõmeritu, & in hac ſaltẽ ſpecie vetus illud ius omnino retinendũ videatur quod patribus in liberos vitæ & necis

potestatē tribuebat. Deinde & illud laudabilē esse credidi, sic, quod malè feceris, emēdare, vt illo ipso quo damnum dederis, prosis: & quo nocueris, eo ipso iuues. Vetera igitur illa quæ nunquā edita esse præstabat, nō tantùm abdicaui, verùm etiā prorsus aboleui: paucula, & ea quidē castigata, seruaui, quòd alicuius frugis se fore sponderent: alia, si non meliora, at certè huic ætati & professioni nostrę accōmodatiora, inter meas schedas fortè reperta, substitui, vt tandē aliquis libelluli modus extaret. Tuæ verò potissimū amplitudini quicquid istud est rei consecrandū idcirco existimaui, quòd tuis ad me postremis literis singularis cuiusdā humanitatis & leporis plenis, ita me cōmouisti tua ad refellēdas illas aduersariorū calumnias cohortatione, vt quod à me nullus adhuc potuerat amicus extorquere, (nēpe vt ad istorū maledicta quicquā respondērē) id ipsum facilè impetraris. Hāc igitur scriptionē tanquā te potissimùm auctore susceptā, tibi quoque deberi existimaui. in quo consilio me Christophorus Thretius noster, optimꝰ sanè & valde pius homo, magnopere cōfirmauit. Spero autē, tibi, cui nostra illa quāuis deprauatissima tantopere probata sunt, vt eorum etiam memoriā retinere te significaueris, ista multo gratiora & iucūdiora fore, siue res ipsas, siue characterem o-

rationis ſpectes. quod ſi fuerim ab amplitudine tua cõſequutus, feceris vt iſtius opellę qualiſcunque me nunquã pœniteat. Quod ſupereſt, ornatiſſime vir, gratulor tibi totíque Eccleſiæ tantum iſtud Dei beneficium, qui te mirabiliter ex Antichriſti faucibus ereptũ ad Chriſti ſui regnum tranſtulit: vt neque te epiſcopales illæ diuitiæ, neque vlla maximarum in illa perditiſſima Antichriſti curia dignitatum conſequendarum expectatio, neque Tridentini conciliabuli larua, licet tuæ tum eloquentiæ, tum integritatis teſtis, efficere potuerint quominus à tenebris lucem internoſceres, caſtum coniugiũ ſuperſtitioſo cælibatui anteponeres, Chriſti veras opes deniq; omnibus Antichriſti vaniſſimis illecebris anteferres. Perficiat idem ille Deus Opt. Maximus, pro bonitate ſingulari ſua, excellens illud opus quod in te inchoauit, téque Spiritus ſui cunctis dotibus quam munificentiſſimè exornatum, Eccleſiæ ſuæ quamdiutiſſimè cõſeruet. Geneuæ, ex muſeolo noſtro, pridie Idus Maii, quo die peritiores chronographi demõſtrant, abhinc annos cĪↃ ĪↃ xxxv Ieſum Chriſtum filium Dei æternum veram carnẽ pro nobis aſſumptam in cælum intuliſſe: vbi etiã capi illũ oportet, donec iterum veniat viuos & mortuos iudicaturus. Etiam Domine veni.

IN CVCVLLATOS
Bezomastigas.

Quod facit ipsa libens, gens cœlo inuisa solóque,
Et raso cunctis vertice nota cohors:
Hoc iuuenis temere Aonidas per deuia sectans,
Lusisse ex aliqua parte quòd ausus ego,
Clamat grande nefas, & quæ sibi vera patrare
Fas putat, in reliquis nec simulata probat.
Et meritò. siquidem hos demum hæc fabrilia fa-
Seria seu fuerint, seu simulata, decent. (bros,
Immò quæ iuuenis ludebam crimina, certè
Huius contages sordida gentis erant.
Cuius vt effugi afflatum, mutatus eodem
Tempore, damnaui quæ placuêre prius.
Ecce igitur, nunc sacra fero mutata prophanis,
Seria pro fictis, próque iocis lacrymas.
Sed quid si hæc etiam carpat gens improba? nempe
Certa bonis laus est, displicuisse malis.

חרוז מקרניאל ברטר"נדוש על התלים אשר הרב
רב תאודורוש בזא היטיב להעתיק
בלעז ובלשון רומי:

בְּנֵי עֵבֶר בִּינוּ בְּנֵי יָוָן דִּינוּ
וְכִתְּיִם יָכִינוּ עָלַי זֹאת רַעְיוֹנָם:

הַקַּדְמוֹנִים קָצוּ לְהָבִין מַה רָצוּ
אֲבוֹת עִבְרִים לָצוּ בְּנֵי עַם נְגוֹנָם:

וְהִנֵּה רַב הַהוּא בְּזֶא אַם נִלְהוּ
וְהֵיטֵב הוֹרֵהוּ בְּעַל כָּל הֲגִיוֹנָם:

בִּלְעַז רִאשׁוֹנָה וְרוֹמִית אַחֲרוֹנָה
בִּלְשׁוֹן עֶלְיוֹנָה מְתֻרְגָּם כָּל אוֹנָם:

קַרְנִי אֵל

ΕΙΣ ΔΙΑΦΟΡΩΝ ΕΠΩΝ ΒΙΒΛΟΝ

Θεοδώρου τῦ Βηζᾶ, μετενηνεγμένην ἐκ τῆς ἑλληνικῆς εἰς τὴν ἑαυτῦ γλῶτταν, καὶ τὰ θεῖα λογία ἀμύητος, ἐπυκτε μεμυημένους.

ΦΡΑΓΚΙΣΚΟΥ ΤΟΥ ΠΟΡΤΟΥ.

Ἤθελεν ὁ συγερὸς θεοσεβέα Κύπριδα Μῶμος
Φέξαι, βασκανίης κρείσσονα δ' ὄμμα φέρει.
Σανδάλιον τείζειν φάθ' ὁ βάσκανος. ὦς Θεόδωρε
Καί σοι παγγνία πρὶν πρόϋφερε νηπιέης.
Νῶν δὲ θεοπνεύστων σελίδων τόδε ἤλιον ἀγὼν
Ἀντέλλοντα βλέπων, ἆ μέλεος, τί πάθοι;
Ῥηξεῆ φωνάς, ὦ μουσάων σῶμα, ὦ μέγα κόσμε
Κόσμου, ὦ πιυτῆς, ὦ νόε θεῦ ἁρμονίης.

ΑΛΛΟ, ΩΣ ΑΠΟ ΤΗΣ ΒΙΒΛΟΥ.

Ὕμνοις νῶν Δαβὶδ, ἡρώων κλέα, καὶ βίον ἴχνω
Ψυχῶν ἁσεβέων, καὶ γεροιὸς ἐλέγχους,
Κἄλλων παντοδαπῶν ἐπίων πολυδαίδαλον ὕλιμ.
Μῶμε τί νῶν φθονέρόις; ἔρρε πάλ' ἐς κόρακας.

ΕΡΡΙΚΟΥ ΣΤΕΦΑΝΟΥ

πρὸς τοὺς Βηζομάστιγας.

Μηκέτι τοὺς Βήζα κινώσουσιν ἐγκέντρετε μούσαν,
Ὦ Βηζομάστιγες, ἀπρεπέως μαστιγίαι.
Οὐ μέλι μοῦσον ἔχει, κέντρον δὲ καὶ ἄμμα ἥδε μέλισσα,
Ὦ Βηζομάστιγες, ἀπρεπέως μαστιγίαι.
Ἀλλὰ τί τοῦτο λέγω; μᾶλλον δ' ἀνεγκέντρετε τοῦδε,
Ὦ Βηζομάστιγες, ἀπρεπέως μαστιγίαι.
Ὄφρα μέλι δροσόεν ὦδε, ἀμώσετε κέντρα δὲ θύμας,
Ὦ Βηζομάστιγες, ἀπρεπέως μαστιγίαι.

EIVSDEM HENRICI STEphani de hac secunda poematum Bezæ editione.

Quæ cecinit iuuenis flammis mendacibus ardens,
Cæcáque dum regeret pectora fictus Amor,
Beza Dei vocum postquam est incensus amore,
Optauit cæca condita nocte tegi.
Quod potis est vnum, quàtum est mutatus ab illo,
Tantum illos mutat multa litura sonos.
Sic liber hic dignus domini iuuenilibus annis,
Nunc senio domini dignior (ecce) redit.

EIVSDEM HENRICI STEphani de elegijs Theodori Bezæ.

Quosdam fortè elegos manus repertos
Suo more oculis dedit legendos,
Sed nomen minimè suum fatentes.
Hi placent decies mihi relecti,
Centiésque placent mihi relecti.
Quo placent magis, hoc magis fateri
Nomen percupio sui poetæ.
Tacent. tunc ego dictitare mecum,
At certè neque Naso, nec Tibullus,
Per quos Delia viuit & Corinna,
Hos possunt sibi vendicare versus.
Naso nescio quis Tibullianus
Istarum pater est amœnitatum.
Tandem comperio Veseliensem
Bezam versibus his patrem fuisse.
Tunc verò attonitus sophi renati
Priscum dogma diu reuoluo mente:
Illud sed tamen innouare cogor.
Haud Nasonis enim puto & Tibulli
Immigrasse animas in hunc poetam,
Sed factam reor è duabus vnam.

EIVSDEM HENR. STEPHANI
De varijs in Beza ingenij dotibus.

Hæc qui carmina legit ac relegit,
His lectis decies & his relectis,
Tam terſis, lepidíſque, támque acutis,
Is certè cuperet diéſque totos
Et noctes quoque ſcriptitare totas
Bezam carmina, cæteris omiſſis.
At quicunque legit tot illa ſcripta,
Tot doctiſſima ſcripta, quæſtiones
Enodat quibus explicátque multas,
Et ſenſus quibus abditos recludit,
Illum percuperet rei vacare
Huic tantummodo, cæteris omiſſis.
Quum verò populi frequens corona
Eius grandiloquo & canoro ab ore
Summi iuſſa Patris docente pendet,
Quod vocéſque modò intonat tremendas,
Summi iudicium Patris minando,
Et blandis modò vocibus reducit
Mœſtis ſpes animis; foréſque pandit
Aulæ ſidereæ, vocantis omnes,
Si ſint ſi modò pœnitere prompti:

His dum Nestoreæ mel ille linguæ
Hócque ipso mage melleum mel addit,
Tantum pectora gaudium titillat,
Vt sermonibus omne tempus optent
His Bezam dare, cæteris omissis.
Quid vota hæc tria? tres habere Bezas:
Quum Bezam Deus vnicum crearit.

IN THEOD.

IN THEOD. BEZAE Psalmos, PAVLI MELISSI SCHEDII Epigramma.

En sacra iam tandem, votis quam mille petitam
Cernimus, Isaidæ psaltria vatis adest:
Psaltria, nõ Solymam sed vestem induta Latinã,
Pieridum casto ponè sequente choro.
Cantibus illa præit, respondent cantibus istæ,
Mutuáque alternis vox sonat apta modis.
Rector, Apollineo perfungens munere, Beza
Temperat argutæ fila canora lyræ.
Huic Deus est carmen, summus Deus ille deorum:
Inq; Dei laudes quod canit, omne canit.
Hæc nos Musa beat. vidén' vt modulamine miro
Alliciens homines sidera in ipsa trahat?
Quò rapior? tam dulce melos mihi verberat aures,
Speret vt ætherium mens superare polum.
Non ita vere nouo iucundùm Daulias ales,
Non ita vicino funere cantat olor.
O suaues Bezæ sanctáque piásque Camœnas:
Ah pereat, Bezam quisquis amare nequit.

EIVSDEM IN EPITAPHIORUM librum Theod. Bezæ.

Hæccine laus etiam meritis accedere vestris,
Tantus & his famæ non pereuntis honos
Debuit, vt clari quæ maxima nominis extat
Gloria, carminibus maior in orbe foret?
O fortunatos manes, animásque beatas,
Queis tam facundo contigit ore cani.
Felices numeri: multorum laude referti,
Insignem multa redditis arte virum.
Et meritó. siquidem reliquis dignissima semper
Carmina sunt, vates quæ pretiosa facit.
Ah vtinam tellus mihi præbeat illa sepulchrum,
Quâ Rhodano iunctas Aruia miscet aquas:
Vt mea, si merui (vixissem sátque supérque)
Fata senex elegis Beza perennè canas.

EIVSDEM IN EPIGRAMMATA Theod. Bezæ.

Qualis nectarei scatebra fontis,
Quales ambrosiæ boni sapores:
Mulsum quale, fauíque delicati,
Et quodcunque suauitate præstat,

Et dulcedine quicquid antecellit:
Tales, Beza, poematum tuorum
Nobis (euge recens opus) libelli,
Tales omnibus optimis amicis.
Aſt oſoribus hoſtibúſque ſunt, &
Sint optamus, acerbiora amaro
Iſthæc felle, & amariora acerbis
Succis hellebori atque gentianæ,
Ac ſi triſtius his quid extet vſquam,
Bili quod ſiet hoſtium mouendæ.
O factum benè. Zoilos remordent,
Quas morſu violauerant, Camœnæ.
Quid reſtat? niſi perpetim manenti
Inſcribenda cedro ſacri poetæ
Suaui carmina ſuauiora mulſo,
Dulci carmina dulciora melle,
Grato nectare, ſaccharóque puro:
Et ſiquid pote ſuauius vocari,
Seu quid dulcius inuenitur vſquam.

DE THEOD. BEZAE VERSIBVS seuerè ab ipso recognitis.

Zoile, quæ damnas, vt turpia, carmina Bezæ,
A domino pridem sunt iugulata suo:
Carmina clamarent vt sidere nata siniſtro,
Parce pater natis viſceribúſque tuis.
Nam cur Medeæ Prognéſque exempla probares,
Vt, qui mitis eras, iam ferus eſſe velis?
Ille nihil motus, correpto feruidus enſe,
Ad Styga vos, inquit, dedecus ite meum.
Iſta volo tantùm vitali luce fruantur,
Quæ ſunt virgineo digna vel ore legi.
Hæc quoque ſi carpis, non turpia Zoile carpis,
Sed quia non etiam turpia Beza canit.

Gul. Glendius, Flander.

THEODORI Bezæ poemata.

PSALMI ALIQVOT Dauidici.

PSALM. I, Beatus vir qui non abijt in consilio, &c.

BEATVS ille qui nec interest libens
Malis malorum cœtibus, (lus
Nec improborũ in omne præcipitẽ sce-
Ingressus insistit viam,
Nec execrandis mixtus irrisoribus
Profanus assidet comes:
Summi sed vsque Legibus Dei sacris
Toto cohæret pectore,
Illáque secum, sorte contentus sua,
Noctes diésque cogitat.
Qualis virentis læta ripæ margine,
Densis superbiens comis,

Arbos colono grata ramos porrigit
Ponderibus annuis graues,
Et vim rigentis dura frangens frigoris,
Honore constanti viret:
Talis vir ille, quicquid aggreditur, boni
Securus exitus facit.
Non sic scelesti, gluma sed vt inutilis,
Iactata venti turbine,
Non iam supremi ferre vultus iudicis,
Aut verba poterunt aspera:
Nec in bonorum mixta cœtu innoxio,
Sceleſta consistet cohors.
Nanque vt bonorum facta comprobat Deus,
Sic funditus perdit malos.

PSALM. II, *Quare fremuerunt gentes, & populi &c.*

GENTIVM furor vnde tantus hic
Sic frustra populos tumultuari? (est?
Sic reges properare concitatos?
Sic vnà ínque Deũ, ínque præpotẽtis
Regis à Domino caput peruncſtum,

Facta hæc impia principes mouere?
Horum nunc age, nunc iuuabit (aiunt)
Diruptis semel euolare vinclis,
Et curuo iuga depulisse collo.
Sic illi. At Deus ex poli supremo
Ridens vertice spectat hos furores:
Hásque terribiles ferocientum
Minas omnibus excipit cachinnis.
Donec horribili furore feruens
Ipsos præcipiti pauore fractos
Voce terreat intonans tremenda.
At hunc (inquiet) in Sione regem
Designauimus: hunc placet sacrati
Nobis imperium tenere montis.
Tunc ego intrepidus Dei perenne
Edictum memorabo. nanque nobis
Hoc vero Deus est loquutus ore,
Tu mi Filius: (inquit) hac beata
Luce te genui: ecquid est quod optes?
Posce tu modò. nam tibi vniuersas
Concessum simul vndiquaque gentes
Et laxi spatia obtinere mundi.
En sceptro tibi ferreo licebit
Mentes conterere omnium rebelles:

Idque tam facilè ac labore nullo,
Quàm potest figulus rotata vasa
Leui frangere, quum libebit, ictu.
Ergo depositò furore tandem,
Reges nunc sapite, oro, principésque,
Qui vasti imperium tenetis orbis.
Nunc Deum veriti colatis vltrò,
Et vestro pariter Deo exhibete
Mixtos lætitia & tremore cultus.
Nunc amplexibus obuijs receptum
Ipsius quoque Filium fouete:
Iram ne semel eius asperetis:
Quæ si vel minimum arserit, necesse est
Tum vos funditus interire totos.
At contrà, omnibus ô modis beatos
Illos qui Domino Deóque fidunt.

PSALM. III, Domine quàm multiplicati sunt, &c.

HEV quàm minaces, mi Deus, hostium
Creuère vires, & furor impotens?
Solum hinc & inde me feraci
Quanta premit fremitu aterua?

Quin trita vox est ora per omnium,
In te relictum prorsus opis nihil,
Mortale robur nedum ab istis
Seruet vt incolumem periclis.
At tu iacentem me clypeo teges,
Abs te vt receptis rursus honoribus,
Gemmante sublimis renodem
Conspicuum caput hoc corona.
Ergo eiulantem me superûm Pater
Quum sacræ ab arcis culmine inaudiat,
Et pectore ex imo profusis
Optimus annuerit querelis,
Curis solutum pectora tetricis,
Nec dormientem, nec vigilem pauor
Turbabit vllus, sub potentis
Præsidio Domini quietum.
Imò vt coactas innumerabiles
Cernam phalanges vnius in caput,
Mentem beatam recreabit
Spes, Patris in gremium recumbens.
At tu resumptis viribus excitus
Prodi, & ruentem robore sustine,
Horúmque dentes ósque durum
Ictibus obterito sonoris.

Quippe omnis in te nostra sita est salus,
Et tu vicissim muneribus nouis
Gentem tibi vni consecratam
Assiduè cumulas benignus.

PSALM. IIII, Quum inuocarem, exaudiuit, &c.

O VINDEX scelerũ, iuris & arbiter,
Insontis trepidas accipito preces:
Et me rebus in arctis
Auditum, vt priùs, erue.
At vos, ô proceres, dicite, callidi,
Frustra consilijs quandiu inanibus
Oppugnabitis istud
Dignatum imperio caput?
Certè præ reliquis munificus suo
Qui lectum arbitrio me Deus extulit,
Clamantem quoque vindex
Idem promptus inaudiet.
Peccatum satis est: iam trepidos iuuet
Noctis per tacitæ muta silentia,
Tota euoluere mente
Tantum præteritum nefas.

Exin legitimis iustitiæ sacris
Mactata innocui pectoris hostia,
Spes defigite vestras
In solo superûm Patre.
Largas poscat opes, ætheris immemor,
Terrenis inhians stultum hominum genus:
At tu me æthere ab alto
Splendore irradies tuo.
Campi illis cumulent gaudia fertiles,
Aut colles grauido palmite diuites:
At mi corde sub imo
Quiddam suauius insidet.
Tu curis facies liber vt anxijs,
Confisúsque tuæ præsidio manus,
Dulcis tempora vitæ
Felix, mi Deus, exigam.

PSALM. VI, *Domine, ne in furore tuo arguas me, &c.*

NE me, ne (rogo) quamlibet nocentem,
Ira illa opprimito seueriore:
Nec me corripe quandiu furoris
Æstu concitus impotente ferues.

Sed me respice iam dolore fractum,
Et fer lenis opem mihi misello,
Cuius deuorat intimas medullas
Tetri sæuities nefanda morbi.
Mens quoque innumeris malis sepulta
Tota exæstuat. Ah, Pater supreme,
Quem finem facies acerbitatum?
Age, aduerte oculos sereniores:
Seruato hanc animam, Deus benigne,
Et malis semel hisce liberato,
Tuæ munere liberalitatis.
Nam qui viuere desyt, tuarum
Laudum cogitur immemor silere,
Et meta taciti obrutus sepulchri
Tuas iam nequeat sonare laudes.
Totus ecce liquesco lacrymando,
Ipsis dum gemo consciis tenebris,
Thoro præ lacrymis meis madente,
Thoro, inquam, in lacrymis meis natante.
Mea en lumina mœror excauata
Exedit, tineæ voracis instar,
Et tanquam arida iam premat senectus,
Absorpto pereunt liquore ocelli,
Obsesso innumera hostium caterua.

Sed cur pluribus hæc iuuet referre?
Tu nunc tu procul, ô ſceleſta cunctis
Pridem aſſueta malis cohors, faceſſe.
Accepit Dominus meas querelas,
Audiuit quoque lacrymationes,
Et mixtam gemitu petitionem.
Ecquid vos igitur pudet ſceleſti?
Ecquid nunc trepidatis? ecquid, inquam,
Terga obuertitis, & repentè magno
Perculſi fugitis pauore cuncti?

PSALM. XV, Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, &c.

EQVIS erit Deus alme, tuo qui numine tutus
Sceptra colat ſacrata tibi, ſanctóque receptus
Monte tuo, felix æternos exigat annos?
Scilicet integro ſimplex cui pectore candor,
Cui iuſti ſtat vita tenax, cui conſcia veri
Pectora, cui nullo temerata eſt crimine lingua:
Alterius lædi nomen qui ferre recuſat,

Insonti nedum vt noceat periurus amico:
Qui scelerum artifices odio auersatus acerbo,
Mente colit tota veræ pietatis amantes:
Qui, simulac promissa fides, incommoda malit
Mille pati, quàm iuratæ periuria linguæ:
Infames numerat nullos qui fœnore nummos:
Nec vitam insontis scelerato vendidit auro.
Hac quisquis vitam ratione exegerit, ille,
Ille Dei felix æternùm monte quiescet.

PSALM. XVIII, Diligam te Domine, fortitudo mea, &c.

TE TOTO, alme Deus, pectore diligã,
Firmum ô præsidium & certa salus mea.
Tu secura mihi arx, ínque periculis
Tutum perfugium mihi.
Te vitam incolumis vindice transigo,
Tu totus meus es, tu, velut edita
Rupes, cuius ego præsidio truces
Mundi despicio minas.
Tu scutum solido tergore multiplex,
Tu cornu rigidum, cuius ab impetu

Detrudi, arce velut tutus ab ardua,
Hostiles video globos.
Impendet quoties dura necessitas,
Laudes ecce tui concino numinis:
Et mox tota fugam corripit hostium
Oris victa phalanx sono.
Præsenti exanimem mortis imagine,
Vndarum obruerat more furentium
Hostilis rabida concita vi manus
Vnius miseri in caput.
Iam vita indomitis victa doloribus,
Horrebat tumuli frigora proximi,
Iam mors compedibus cruda tenacibus
Instabat misero mihi.
Istis quid facerem rebus in asperis?
Ex imis Dominum faucibus invoco
Et quanta fieri voce potest, Dei
Supplex subsidium peto.
Ille autem, superûm sede sedens procul,
Clamores querulæ vocis inaudijt,
Nec nostris precibus præbuit optimus
Aures indociles Pater.
Commoti subitò sub Domini pedes
Mugitu horrifico contremuit solum:

Atque immota suo pondere, montium
Moles subsilijt grauis.
Ipse atram nebulam naribus igneis
Flammarúmque globos faucibus euomens,
Et latè pauidum terrifico ruens
Orbem fulgure verberat.
Conuersis trepidans cardinibus solo
Illabi superûm visa potens domus:
Tum celso ipse Pater vertice desilit,
Atris nubibus insidens.
Hinc fratrum aligerûm terga premens eques,
Ventorúmque furens concitus impete,
Nimborum piceo turbine conditus
Tranauit trepidum aera.
Nigrantes nebulas flammea vis micans
Dirupit medias, mixtáque grandine
Tempestas cuneos funditus hostium
Telis contudit igneis.
Missis terribili fulminibus manu,
Immanis patuit tum maris alueus,
Et quicquid penitus parte sub infima
Mundi pondera sustinet.
Tanta est indomiti vis superûm Patris,
Mortales quoties feruidus increpat,

Et mundum horribili cum fremitu ferox
Ira præcipiti quatit.
Tum verò è mediis nubibus optimus
Exerta arripuit me miserum manu,
Ereptúmque caui gurgitibus maris
In tuto statuit Pater.
Sic me, terribilis quem furor hostium
Victricis pauidum sæuitiæ metu,
Crudæ condiderat iam tenebris necis,
Seruauit superûm Pater.

PSALM. XIX, Cæli enarrant gloriam Dei, &c.

ILLA cælorum irrequieta moles,
Et solo ex imo superos ad axes
Curua quod mundi spatia vniuersi
Complet inane,
Arte inaudita artificis supremi
Clamitant sese fabrefacta quondam,
Cuius æternum decus vsque totus
Personat orbis.
Clara lux lucem, & tenebræ tenebras
Mutuò nexis vicibus prementes

Inclyti alterno celebrant Parentis
Carmine laudes.
Barbaras vſquam règio nec vlla
Sic alit gentes, nequeant vt iſtas
Aſſequi toto penitus ſonoras
AEthere voces:
Quum patens quacunque habitatur orbis,
Legibus certis agitata moles,
Patris æterni reſonet canoro
Gutture numen.
Quale vernanti pudet ore toto
Prodiens coniux thalamo futurus,
Talis eoa procul aureus ſol
Surgit ob ora.
Quale robuſtúſque agilíſque curſor
Euolat præceps ſtadium pererrans,
Vltimis donec ſpatijs ſuperbè
Victor anhelet:
Tale ſplendenti properans ab ortu
Sol rapit ſeſe occiduas in vndas,
Torrido latè populos adurens
Feruidus æſtu.
Orbe ſed toto ſupero inferóque
Lege nil purum magis, efficáxque

Mole curarum recreare feßas
Vndique mentes.
Fida quæ interpres, ſuperûm Parentis
Pandit arcanum, ſapientiámque
Infimis præſtat, tumida feroces
Mente repellens.
Hæc iter recti docet, atque puro
Gaudio mentes cumulare certa,
Quamlibet cæcos recreat perennis
Munere lucis.
Hæc pium monſtrat Domini timorem,
Nulla quem poßint abolere ſecla,
Trames hæc certus penitúſque partes
Rectus in omnes.
Huic opum cedit pretium, & coruſca
Diuitis cedunt Ophires metalla,
Huic apum cedit labor, & refertæ
Nectare cellæ.
Hanc ego intentis oculis tuendo,
Te colo ſeruus Dominum fidelis,
Præmij certus, tua quod ſequuti
Iußa reportant.
Sed quis errores animi euagantis
Nouit? ah clemens Pater, oro, quicquid

Sordium cordis tego ſub receſſu,
Elue promptus.
Impetus mentis cohibe feroces,
Ne ruam faſtu dominante præceps:
Quin ab hoc grandi potius ſuperſim
Crimine purus:
Vt tibi carmen, Pater ac Redemptor,
Corde quod promptum canimus, probetur;
Sera mors donec tua me canentem
Facta coronet.

PSALM. XXII, Deus Deus meus reſpice in me, &c.

MI DEVS eheu! eheu mi Deus, obſecro cur me
Deſeris, auxiliíque fugis propioris egentem,
Horrendáque feros frendentem voce dolores?
Nanque dies clamo totos, nec feſſa diurnis
Queſtubus ora ſilent, triſtem ſed paſſa repulſam,
Irrequieta ſuas iterant quoque nocte querelas.
At tu equidē Deus es. tu crimine purus ab omni.
Felices

Felices cuius ſolio reſidentis in alto
Iſacidæ celebrant laudes, & numen adorant:
Tu ſpes vna patrum, & conſtans fiducia quõdam,
Euentus quorum voces nec vota fefellit:
Clamantes ſiquidem, téque vno vindice fretos,
Audiſti facilis, cælo miſeratus ab alto. (gner,
Aſt ego nou deinceps hominis me nomine di-
Quin potius vilis ſum vermis, putrida quales
Materies tetro paſſim de ſtercore gignit:
Ludibrium populi, atque inſanæ fabula turbæ:
Ille ego, cui quiſque occurrens tranſuerſa tuetur,
Et ronchos ſonat, & diducit turpiter ora,
Irridétque, caput motans: hæcque inſuper addit,
En qui ſe Domino totum commiſerat vni:
Eruat hunc igitur, circunſtantíque periclo
Eximat, & charum fidus conſeruet amicum.
At tua me certè naſcentem matris ab aluo
Suſcepit manus: & nutricis ab vbere pendens,
Nempe tua vnius ſimul à bonitate pependi.
Iámque tibi ſacratus eram, iam paruulus ore
Vnum te blæſo Dominúmque Deúmque ſonabam.
Ergo ades, & ne me diſcrimina in vltima raptum
Deſere: nãque potes ſolus ſeruare precantẽ. (uẽci,
Hinc me etenim miſerũ validi indomitíque iu-

Inde feri immani rictu inuasere leones.
Dilapsum instar aquæ robur: metus ossa resoluit:
Et, ceu cera foret, pauidum cor liquitur omne:
Quæ viguere prius, nunc vires corporis arent,
Vt solet ardenti multo later igne recoctus:
Et, iaceam velut in tumulo iam putre cadauer,
Faucibus in mediis en lingua immobilis hæret.
Ecce canes misero rabidis latratibus instant,
Obsessúmque cohors premit obfirmata malorum.
Ecquid sæuitiæ omisêre? pedésque manúsque
Fodêre, extenti numerarunt corporis ossa.
Et tantos tamen aspiciunt ridentq; dolores.
Quinetiam vestes sibi diuisêre perempti:
Nec tunicam puduit sorti exposuisse nefandæ.
Ne me igitur Deus, ô miseri spes vna, relinque:
At potius facilis propera, gladiúque furori
Eripito hanc animam: solúmq; inopémq; relictum
Ne canibus rabidis laniari, néue leonum
Sæuitia immani discerpi, néue ferarum
Eheu perfodier cornu patiaris acuto:
Quin potius miserere dies noctésque precantis.
Tũc laudes nomenq; tuum, Deus alme, sonabo,
Tunc tua facta, potens, fratrum narrabo cateruæ.
Quin etiam cunctis profari hæc verba iuuabit,

Eia agite ô veri cultores numinis, eia
Isacidæ, sancti soboles germana Iacobi,
Vos mecum summo rerum Dominóque Patríque
AEternos cantus, æternas dicite laudes.
Nanque nec est oculis inopem auersatus iniquis,
Nec spreuit miserum: ac potius miseratus egẽtem,
Applicuit placidas nostris clamoribus aures.
Ergo mihi tu carmen eris, tu maxime, laudũ
Argumentum ingens, quas me pia turba canentem
Miretur laudétque simul, quum debita cœtu
Vota tibi medio gratus solennia reddam.
Tunc festas tibi ritè dapes, epulúmque sacrabo,
Quo mecum accumbens iam lætior omnis egẽtum
Vescatur chorus, & vero te quisquis amore
Diligit, æternæ tanto pro munere vitæ,
Persoluat meritas toto tibi pectore grates.
Certè & tempus erit, posito quum errore beatus
Ad sese rediens totus tibi seruiat orbis,
Et sua vota ferant curuato poplite gentes.
Nanq; tuum imperiũ est, tu mũdi infráq; supráq;
Iure tuo, Rex omnipotens, moderaris habenas.
Hinc dites, hinc & miseri, queis mortis in ipso
Limine paupertas vitæ spem sustulit omnem,
Te Dominum pariter fassi, sũméque potentem,

Accumbent simul, & sacras pascentur ad aras.
Quinetiam patrum sectati exempla nepotes,
Numen idem agnoscent: donec gēs integra surgat,
Quæ, Pater alme, tuum felix referatur in album:
Atque, nouo prout in populo succreuerit olim
Post sobolem soboles, tua fortia facta canantur,
Et tua firma fides venturis ordine seclis.

PSALM. XXIIII, Domini est terra & plenitudo eius, &c.

ET TERRA, & terræ quicquid complectitur orbis,
Et orbis omnes incolæ,
Imperio subsunt Domini. nanque ille (potente
Terram creauit dextera,
Inque mari medio tutam stabiliuit ab vndæ
Circunsonantis impetu.
At quémnā ex hominū numero dignabitur isto
Honore munificus Pater,
Vt Domini sacras felix ascendat in arces,
Eiusque fiat accola?
Cui puræ scelerúmque manus, omníque nefandi
Immune pectus criminis.

Qui nunquam temere, vnanimi vel falsus amico,
Dei inuocarit numina.
Scilicet hunc Dominus multa mercede beabit,
Fortíque proteget manu.
Vera hæc Isacidum soboles, hæc vera Iacobi
Addicta proles numini.
Eia caput portæ sublime attollite, portæ
Caput perennes tollite,
Ingenti vt pateant ingentia limina Regi,
Summéque pleno gloriæ.
Quis cedo Rex hic est tãtus? Magnusq́ potensq́
Fortísque bellorum Deus.
Eia caput portæ sublime attollite, portæ
Caput perennes tollite,
Ingenti vt pateant ingentia limina Regi,
Summéque pleno gloriæ.
Quis porrò tantus Rex hic est? Armipotens Rex,
Rex plenus hic est gloriæ.

PSALM. XXXIIII, Benedicam Domino, &c.

GRATVS ego superûm celebrabo Patris honores,
Suauimodulante barbito: (noris
Nec me deficiet vox vnquã rauca so
Deo litantem laudibus.
Hæc mihi sola quies, hæc mentis gaudia nostræ,
Hoc dulce solamen mali.
Vnius exemplo labor vt quemcunque fatigat,
Mutet dolores gaudijs.
Ergo agite, ô socij, suprema ad sydera nomen
Tollamus æterni Patris.
Hic me clamantem bonus audijt, iste pericli
Seruauit exanimem metu.
Et certè hunc alacris quicunque tuebitur, illum
Lux recreabit aurea:
Lumina nec tristi suffusus mœsta pudore
Feret repulsæ infamiam.
En etenim hunc miserũ Deus exaudiuit ab alto,
Malísque cunctis eruit:
Spirituúmque pios sanctorum hinc inde phalãges

Denſo tuentur agmine.
Eia guſtate, atque Dei ſit cernite quanta
Ter optimi benignitas.
O te felicem, te térque quatérque beatum,
Spes cuius in Deo ſitæ.
Vos iſtum colitote pij: ſic horrida nunquam
Vos vrgeat penuria.
Eſt (fateor) rabidos quum per deſerta leones
Exagitet impatiens fames:
Atquẽcũque regit Domini timor, hunc beat vſq;
Rerum perennis copia.
Huc agite, ô pueri, verúmque parentis ab ore
Audite cultum numinis.
Ecquis erit, iuuenes, longæ qui dulcia vitæ
Beatus optet otia?
Pura tibi ſceleris ſit lingua, nec improbus vllum
Verbis adulans fallito.
Praua caue, rectum ſequere, & pro viribus vſque
Pacem require ſedulus.
Obſeruat Dominus iuſtos, oculíſque tuetur,
Facilis ad illorum preces.
Obſeruat prauos idem, corámque tuetur,
Ruiturus ipſos funditus.
Clamantes audit iuſtos Pater, atque periclis

Fouet ſolutos omnibus:
Confectos curis animos, fractóſque dolore
Præſente ſubleuans manu.
Vtque bonos mala plerunque infinita fatigent,
Malis medetur omnibus.
Nec patitur cunctis illorum ex oſſibus vllum
Vllis ruinis obteri.
At contra quicunque bonos odêre, peribunt
Scelere ſuomet obruti.
Nempe ſuos ſeruat Deus: hoc qui nititur, omnis
Securus eſt periculi.

PSALM. XXXVI, Dixit iniuſtus, vt delinquat, &c.

IMPIETAS ſcelerum hortatrix licet vſque latebras (cu:
Fraudis doloſæ quærat abdito ſpe-
Attamen hanc videor clara mihi vo ce loquentem
Audire, apud me ſceleris indicem ſui:
Scilicet abiecto ſenſu quòd numinis omni,
In omne præceps facinus impetu ruat.
Nam ſibi blanditus fruſtra tandem impius, illud

Inuiſum oportet prodat omnibus caput.
Ore (nefas) tetro mendacia turpia fundit,
Nec admoneri docilis in viam redit.
Nocte ſcelus tacito voluit ſub pectore, totus
Virtutis hoſtis, prauitatis pertinax.
Quũ tua, ſumme Deus, bonitas micet æthere toto,
Fidéſque ſuperet nubilorum vertices.
Et qua cunctipotẽs hominéſq; feráſque gubernas,
Vis æquitate temperata plurima,
Quoſlibet excelſos tranſcendat culmine montes,
Maris eadem profundior voragine:
Inter at iſta tuas quanta eſt, Deus optime, laudes,
Fœda quòd oblitus ſatos propagine
Mortales, velut alarum ſub tegmine fœtus
Ales tenellos, ſic tueris & foues?
Deliciiſque tuis ſaturos, dimittis ad amnes,
Pleno vbi voluptas pura manat alueo?
Nam tu equidem vitæ fons es, tu luminis vſum,
Cæcis benignus ſufficis mortalibus.
Hos igitur qui te, Deus, & tua qui bona norunt,
Itérque ſeruant rectum, ope tua protege.
Nec ſine me pedibus calcari immanè ſuperbis,
Et impia ad terram dari domitum manu.
Certè equidẽ iamiam cadet improbus, ecce ruinæ
Fatale tempus impiis præſagio.

PSALM. XXXVII, Noli æmulari in malignantibus, &c.

QVALES resectæ falce graminis co-
Virore mortuo iacent, (mæ
Talis malorum vmbratilis felicitas
Repentè tota deperit.
Quæcunque sors igitur malis affulgeat,
Nec intus animo ringitor,
Nec liuor vllus pectus vrat saucium
Statu impiorum prospero.
Quin corda plenus in Deum fiduciæ,
Seruato recti tramitem,
Vitæ saturfuturus, & placidissimi
Potiturus æui commoda.
Vnum te oblectet numen, hinc posce omnia,
Hinc impetres vt omnia:
In hunc recumbe totus, vnum hunc respice,
Quo spes in vno sunt ratæ.
Nanque vt tenebris emicans solis iubar
Lucem reducit auream,
Potente sic Dei probitas victrix manu,
Illustre proferet caput.

Quiesce modò, dum prodeat superûm Pater,
Secum omnia vehens prospera:
Et cuncta quanuis vota cedant impio,
Scelerum suorum compoti,
Nec commouêre, nec animo obsequitor tuo,
Quin potius iram comprime.
Ne te quoque ista abripiat indignatio
Pietatis extra semitas.
Nam tristis exitus malos, lætus bonos
Deo acquiescentes manet.
Cunctare paulùm: turba certè funditus
Tota impiorum corruet:
Quos si requiras, nulla mox superbiæ
Inueneris vestigia.
At fixa certis contrà stabit sedibus
Mitis piorum integritas,
Et pacis altæ perfruetur otio,
Tumultuantibus impijs.
Qui seu scelesta mente concinnent dolos,
Seu dentibus rabiem fremant:
Supremus illos ridet ex alto Pater,
Mali malorum præscius.
Et siue strictis ensibus, siue arcubus
Innoxios tensis petant,

Figunt sua ipsi corda versis ictibus,
Et arcus vltrò rumpitur.
Præstat malorum scilicet opibus omnium
Pura sceleris omnis tenuitas:
Quum robur illorum omne subuertat Deus,
Istos potenter fulciat.
Omnes bonorum Dominus obseruat vias,
Firma vt sit ipsorum quies.
Bonos siniſtra vt sors premat, nunquam opprimet,
Nec dira conficiet fames.
Interitus autem certus impios manet.
Numénque quisquis oderit,
Euanidus abit penitus in fumos leues,
Adeps opimæ vt victimæ.
Egenus vsque mutuatur impius,
Nec soluit vnquam mutuum:
At vsque sanctis suppetit famelico
Quod largiantur pauperi.
Nam quos fauore amplectitur superûm Pater,
Immobili perstant gradu:
Quotcunque verò iratus idem deuouet,
Pereant necesse est funditus.
Greſsus piorum præuius Deus regit,
Rectam terentes orbitam:

Illos ruinæ aduersus impetum grauis
Potente subleuans manu.
En me prioris parte vitæ maxima
Senecta defunctum premit:
Iustum nec vnquam destitutum, aut ad stipem
Iusti redactos liberos,
Quiritante vidi voce diuitum ad ostia
Miserum rogantes crustulum.
Quin vsque & vsque vt largiatur plurimis,
Superest abundè hæredibus.
Firma ergo longum pace quisquis expetit
AEuum beatus ducere,
Anfractuosum sceleris effugiens iter,
Rectam terat recti viam.
Deo placet rectum, suos nec deserit
Probitate vera nobiles.
Manent proinde æternùm: at impij cadunt,
Et impiorum posteri.
Manet pios, inquam, manet perennitas,
Sera in nepotum secula.
Labris bonorum considens sapientia,
Hinc iusta promit omnia:
Et corde in alto fixa lex Dei sacra,
Firmos regit eorum gradus.

Quos, siue quisquam vafer insidias struat,
Siue ante vultus iudicis
Calumniam paret, nec deserit Deus,
Nec iudicis arbitrio sinit.
Intentus ergo perge, dum è cælis Pater
Tandem vocatus prodeat,
Et impiorum saluus exitus malos
Luminibus aspicias tuis.
Vidi potentem, instar comantis laureæ,
Sublime tollentem caput.
Respexi, & ecce, fastuosum comperi
Mox subrutum radicitus.
Certè pios quo inspexeris attentius,
Rectóque corde præditos,
Hoc clarius eorum videbis exitu
Claudi labores optimo.
Contrà, semel certa sceleratis vastitas,
Ruináque imminet vltima.
Dei asseruntur vindice manu & robore,
Afflicti ab improbis probi.
Hos vnus ille tuetur, vnus liberat,
Ille vnus, inquam, liberat,
Et quotquot vno in illo spes sitas habent,
Ipse quoque promptus vindicat.

PSALM. LI, Miserere mei Deus, secundum magnam, &c.

(Præfationem poeticam in hunc Psalmum habes paulo post, inter Syluas)

AH DEVS immensum clemens, miserere precantis,
Et quæcunque tuo bonitas in pectore regnat,
Seruando huic misero se protinus exerat omnis.
Elue me sceleris pollutum crimine tanti,
Elue, peccatíque iube euanescere sordes.
En scelera agnosco, scelerum noctésque diésque
Ante oculos versans me lurida terret imago.
Res etenim tecum propriè mihi.te, Deus, vnum
Offendi infelix, quem non fraus vlla fefellit,
Sublimi è solio méque & mea facta tuentem:
Vt si pro meritis iudex mihi sederis (eheu!)
Damnatus iustas subeam te vindice pœnas.
Me genitrix etenim grauida quũ ferret in alu-
Iam pollutus eram: siquidẽ me tẽpore mater
Et sordes pariter conceptas fouit eodem.
At contrà integritas sinceri pectoris vna
Grata tibi! nec eras alios mihi doctor in vsus,

Ingratum quondam tua quum me arcana doceres.
Ah Deus, hyſſopũ hîc adhibe, & quæcũq; tenaces
Abſtergunt maculas, vt crimine purus ab omni
Emergam, penitúſq; ablutis ſordibus, ipſas
Exuperem candore niues: fac nuntius aures
Impleat vt melior, recreent fac gaudia mentem,
Ne ſemel abſorptis peream mœrore medullis.
Iratos auerte oculos, potiúſque benignus
Multiplici dele contractas crimine labes.
Tu mihi, ſumme opifex rerũ, cor fingito purum
Et recti inſpira renouatum in pectus amorem.
Ne me, ne miſerum, Deus, abiice: néve repulſum
Afflatu ſancto ſpolia: quin certa ſalutis
Gaudia reſtituas: vt qui me heroicus olim
Secreuit reliquis, porrò quoque ſpiritus ornet:
Quo duce fretus ego errantes per deuia multos
Voce regam, mutatóſque in contraria flectam.
Alme Deus, Deus, in quem tota mente recumbo,
Ne meritas à me pœnas pro immanibus auſis,
Et tanta (heu miſerum) patrata cæde repoſce.
Da potius, lingua vt valeam fidibúſque canoris
Te canere, in veniam promptum, fideíque tenacẽ.
Os mihi tute aperi, tu dirige labra loquentis,
Vt tibi promeritæ perſoluant laudis honores.

Ecce

Ecce, tibi non ara placet, non victima flammis
In fumos abiens: alioqui hæc larga dediſſem,
Et pridem crebris oneraſſem altaria donis.
Sacra igitur meliora fero, quæ ſpernere nunquam
O bone conſueſti: deiectos nempe dolore
Attritóſque animos, peccati & ſaucia ſenſu
Pectora, triſte vníque tibi medicabile vulnus.
At tu conſueta pergas bonitate Sionem
Complecti, ſelecta tibi dum mœnia ſurgant:
Tum nos ritè, Pater, ſolennia ſacra feremus,
Liba, merúmque ſimul, conſecratúmque cruorem:
Fumabítque tibi ſolidis altare iuuencis.

PSALM. LII, *Quid gloriaris in malitia, &c.*

IMPROBE, quid inſolescis?
Scelere quid intumeſcis?
Noctes & dies manet
Firmus numinis fauor.
Malam vſque & vſque linguam
Acuis, dolos acuis in omnes:
Fallax ô nouacula,

Improuisa vulnerans.
Sceleris amator omnis,
Virtutis osor omnis,
Falsa cuncta comprobas,
Vera cuncta reijcis.
Quot ore verba fundis,
Tot ore damna fundis,
Tot vomis voragines,
Quæ bonos absorbeant.
At tu, miser, vicissim
Dei manu peribis.
Hæc te dextra destruet,
Euertétque funditus.
Hic te tuo latentem
Vmbraculo reuellet,
Téque semel, pessime,
Subruet radicitus.
Omnes ad hæc vereri
Iustum Dei tribunal,
Téque iure vt optimo
Sic ridere perditum.
En (inquient) scelestum
Opibus dolísque fretum,
Spreto Dei numine,
Potentíque robore.

At ego domus ſacratæ
Stabo virens oliua,
Forti numinis manu,
Seclis firmus omnibus.
Hic te vſque & vſque felix,
Deus, canam perennè,
Cuius iſta nutibus
Euenerint omnia;
Hîc dum vocatus adſis,
Animo feram quieto:
Suo ceu tui ſolent
Factitare commodo.

PSALM. CIIII, Benedic anima mea Domino, &c.

AGE, ô mẽs mea, nunc Deũ canamus,
Nunc, inquã, Dominum ac Deum canamus.
Quẽ circumradians & hinc & indè
Totum lumine fulgido coruſcum
Maieſtatis honos decúſque cingit.
Cui, teſtudinis inſtar, vniuerſi

Curuantur ſpatia vndiquaque cæli,
Et palatia fornicata præbent
Suſpenſæ liquidi aëris procellæ:
Qui curru æthereo tonans, liquentem
Celſis aëra nubium quadrigis,
Ventorum rapido impetu, pererrat.
Cuius imperiis & huc & illuc
Accinctæ celeres feruntur auræ,
Et vis ignea fulminis coruſcat.
Terram pondere tu ſuo imperaſti
Libratam medio inſidère puncto,
Molis pondera nulla ſentientem.
Terram, inquam, vndiſoni maris procellis
Velut tegmine prorſus obuolutam.
Nam quæ nunc reſonat grauíque planctu
Terræ littora tundit Amphitrite,
Latè olim ſpatium orbis obtinebat,
Et montes, licet ardui, profundis
Toti fluctibus obruti natabant:
Quum tu terribili increpatione
Frænaſti Oceani furentis iras:
Qui ſurdus licet, attamen ſonoras
Audiuit ſimulac minas Tonantis,
Totus illico territus reſedit.

Tum verò trepidis repentè ab vndis
Moles surgere montium videres,
Et valles quoque subsidère curuas:
Donec littoribus suis retentum
Fixo limite clauderetur æquor:
Quas, vtcunque furens eat ruátque,
Sit nefas tamen exilire metas.
Hic est, imperio potente cuius,
Cauis vndique vallium salebris
Exortæ fugiunt per arua lymphæ.
Hinc leuant pecudes sitim molestam,
Hinc potant onagri siticulosi,
Hîc sedens auium genus canorum
Virenti latet arborum sub vmbra,
Et garritibus aërem fatigat.
Tu, tu, inquam, Pater ô benigne, cæli
Penu ex diuite depluis beatos
Collium in iuga fructuosa rores:
Et quæcunque auidus metit colonus,
Tuæ munera liberalitatis.
Hinc fœnum pecori benigna tellus,
Hinc flauam Cererem, heu nimis nimísque
Duro vomere sauciata, præbet:
Hinc dulcis quoque nascitur Lyæus,

Qui curas abigat seueriores:
Hinc pinguis quoque munus est oliuæ,
Cuius vnguine vultus enitescat,
Quum vel vna tamen Ceres fouendæ
Satis sufficiat supérque vitæ.
Ipsas quinetiam arbores benignus
Vitali saturas subinde succo:
Et cedros Libano arduas locasti,
Domos passer vbi struat loquaces:
Et pinus pariter, ciconiarum
Nidos scilicet annuos futuras.
Te montes rigidos subit iubente
Pernix caprea, te iubente cæcas
Effodit latebras sibi suísque
Fœcundorum acies cuniculorum.
Tu lunæ varios simúlque fixos
Statis temporibus regis labores:
Tu solis iubar aureum gubernas,
Certis exoriens cadénsque metis.
Tu lucem facis, & facis tenebras,
Quæ clarum simulac diem fugarunt,
Tum lustris rabidæ feræ relictis
Per noctis tacitas vagantur vmbras.
Tum prædator hiat leo, freménsque

Te, velut Dominum omnium ac parentem,
Prædam feruidus obuiam reposcit.
Dein clarum reuehens diem aureus sol,
Depulsis vigilem feris colonum
Ad curas reuocat laboriosas,
Noctis vespera dum vices reducat.
O quæ vis fuit illa, quæ potestas,
Quæ prudentia multiplex, creandis
In rebus simul & simul regendis.
Nam quacunque patet globosa tellus,
Vis quoque imperij tui patescit:
Et quacunque etiam maris vorago
Terræ littora plangit æstuosa,
Latè squamigerûm genus natantum
Fœcundas leuè ludit inter vndas.
Hîc gens magna natat, natat minuta,
Hîc vnctæ pariter volant carinæ,
Hîc immania collocata cete,
Magno illudere quæ mari videntur,
Quum totum oceanum ratésque vertunt.
Nempe à te, Pater, ista cuncta pendent.
Nam plena hæc saturas manu benignus.
Quòd si contrà oculos sereniores
Fortè auerteris, ecce mox fatiscunt.

Quin & ipsam animam tibi petenti
In lutum reditura mox reponunt.
Dein rursus, veluti prius, sopitas
Tibi quum libet excitare vires,
Succedit veteri recens propago,
Et mundi decus alterum resurgit.
Sic ô sic vigeat Dei potestas,
AEternúmque bonus Pater benigno
Suos sospitet vndiquaque vultu:
Ille (inquam) Deus, ille cuius iram
Flammantésque oculos vel ipsa tellus
Latè exterrita tota contremiscit:
Cuius terribili manu furentis
Tacta culmina montium, nigrantes
Fumorum nebulas soluta ructant.
Hunc ergo Dominum canam, hunc sacrata
Nostra barbitos vsque personabit,
Vitæ in pectore quandiu superstes
Flabit hæc anima ac reflabit auras.
Quòd tibi hæc vtinam, ô Pater, voluntas,
Et nostræ placeant rudes camœnæ,
Vni vt sacra tibi mea est voluptas,
Et nostras tibi consecro camœnas.
Abite, ah procul, ah procul, profani,

Ac toto ſemel exulate mundo:
At nos, mens mea, nos Deum canemus.

PSALM. CXXVIII, Beati omnes qui timent Dom. &c.

O TE beatum, quem Dei regit timor
Rectos per eius tramites.
Te, numine propitio laboribus tuis,
Innoxiæ paſcent manus.
Te, vitis inſtar fertilis, propagine
Coniux beabit plurima.
Quales nouellos ordine ſatos termites
Lætus colonus proſpicit:
Talis virentium caterua liberûm
Tuas coronabit dapes.
Nanque hæc parata ſunt Dei timentibus
Maioráque iſtis præmia.
Sionis (inquam) ex arce cæleſtis Pater
In te bona omnia depluet:
Solymam vt beatam & ſoſpitem cernas domum
Quarta in nepotum ſecula:
Totum Iſraëlem denique videas bonæ
Pacis fruentem commodis.

PSALM. CXXX, De profundis clamaui ad te, &c.

RAVCOS è medijs gurgitibus sonos
Fundentem facilis mi Deus audias:
Audi quæ miserum ferrea me iubet
Inclamare necessitas.

Audi (inquam) facilis quæ precor, ô bone.
Nam si forte hominum crimina quælibet
Vlcisci placeat vindice dextera,
Iræ par quis erit tuæ?

At non is Deus es quem iuuet asperæ
Mentis durities: quin potius Patrem
Te blandum canimus, quæ propria est tui
Laus & gloria numinis.

Ergo nostra malis mens licet obruta,
In te respiciens, deposito metu,
Quæ verbo es toties pollicitus mihi,
Felix gaudia præcipit.

Non sic sollicito tyro vigil metu,
Obseruat tacitus dum tenebras fugans
Aurora excubias finiat, & suo
Saluum restituat duci.

Felix Isacidûm nunc agedum genus
Secura in Dominum mente recumbito,
Cui promptum in veniam pectus, & intimo
Regnat corde benignitas.
Hic est ille, datæ qui fidei memor,
Deletis penitus criminibus tuis,
Depulsisque semel commeritis malis,
Te totum asseret, Israël.

PSALM. CXXXIII, Ecce quàm bonum & quàm iucundum, &c.

QVAM bella res est, & quàm amabilis est amor
Fraterna iungens pectora. (tet
Non balsamum illi conferas, cuius ni
Vertex Aaronis vnguine,
Fragranti odore barbam & auream togam
A summo ad imum proluens.
Non roris vber, Hermonis herbidi iuga,
Iuga & Sionis inebrians.
Nanque hîc benigna summus effundit manu
Pater vsque & vsque opes suas.

PSALM. CXXXVI, Confitemini Domino, quoniam bonus, &c.

EIA agedum, celebrate Deum facilémque bonúmque: (gnitas.
Nanque est perennis ipsius beni-
Eia Deum celebrate, deûm quẽ turba veretur:
Nanque est ipsius perennis benignitas.
Et Dominum, domini subdunt cui colla potentes:
Nanque est perennis ipsius benignitas.
Qui solus toto sparsit miracula mundo:
Nanque est perennis ipsius benignitas.
Miranda cælorum orbes qui condidit arte:
Nanque est perennis ipsius benignitas.
Qui circunfusis terras expandit in vndis:
Nanque est perennis ipsius benignitas.
Qui gemino ingenti collustrat lumine cælos:
Nanque est perennis ipsius benignitas.
Qui nitidæ soli commisit lucis habenas:
Nanque est perennis ipsius benignitas.
Qui tenebris lunam & stellarum præficit ignes:
Nanque est perennis ipsius benignitas.

Primigenas magna AEgypti qui strage peremit:
Nanque est perennis ipsius benignitas.
Qui valido Isacidûm defendit robore gentem:
Nanque est perennis ipsius benignitas.
Et priscã in patriã, AEgypto indignante, reduxit:
Nanque est perennis ipsius benignitas.
Qui medias rubri diuisit gurgitis vndas:
Nanque est perennis ipsius benignitas.
Diuisique suos traduxit per maris vndas:
Nanque est perennis ipsius benignitas.
Qui Pharium medio prostrauit in æquore regem:
Nanque est perennis ipsius benignitas.
Pérque Arabum steriles populũ deduxit arenas:
Nanque est perennis ipsius benignitas.
Immanes multa qui strauit cæde gigantas:
Nanque est perennis ipsius benignitas.
Præcipitéque alta deiecit sede tyrannos:
Nanque est perennis ipsius benignitas.
Gentis Amorrhææ tenuit qui sceptra Seonem:
Nanque est perennis ipsius benignitas.
Et molem ingentis iactantem corporis Ogum:
Nanque est perennis ipsius benignitas.
Hísque erepta, suæ donauit prædia genti:
Nanque est perennis ipsius benignitas.

Quæ longa Isacidæ colerent in secla nepotes:
Nanque est perennis ipsius benignitas.
Qui toties miseros & opis respexit egentes:
Nanque est perennis ipsius benignitas.
Et sæuo toties saluos ex hoste recepit:
Nanque est perennis ipsius benignitas.
Qui, quæcunque bonus fecit, nutrítque, fouétque:
Nanque est perennis ipsius benignitas.
Stellantíque potens regnat sublimis olympo:
Nanque est perennis ipsius benignitas.

PSALM. CXXXVII, Super flumina Babylonis, &c.

QVVM Solymæ memores, riguæ Babylonis ad vndas;
Mœrore pleni corda, lumina lacrymis,
È salicũ ramis pendẽtia spectaremus
Tunc muta, sed canora quondam nablia:
Tum qui nos patrijs adeo crudeliter oris
Ludibrium sibi futuros traxerant,
Non, non (aiebant) lacrymas vos poscimus istas,
Solymæ sed illos poscimus suaues modos.
Siccine nos verò populis ridenda profanis

Præbere ſummo ſacra carmina numini?
Quin citharâ potius mea nũquã hæc dextera pul
Quàm me Sionis capiat vlla obliuio. (ſet,
Hæreat hæc (inquam) potius mea lingua palato,
Quàm chara menti Sion excidas meæ.
Vel, ſiquando hilares in cantus ora reſoluam,
Aliunde ſumam gaudij primordia.
Tu verò memor eſto, Deus, crudelis Idume
Illo in Sionem quid die iactauerit:
Quum ſæuis addens animum prædonibus, eia,
Clamaret, vrbem perdite, ruite, vertite.
Atqui tempus erit, Babylon, quũ tu quoque iuſtæ
Vltoris iræ debitas pœnas dabis.
Tunc ô felicem qui matris ab vbere raptos
Illidet aſperis puerulos cautibus.

PSALM. CXXXVIII, Confitebor tibi Domine in toto corde meo, &c.

TOTA, alme Deus, celebrabo mente. canenti
Succinite cælitum chori. (fidéq;
Te, Deus, æde colam ſacra, bonitate
Illuſtre numen prædicans.

Ecquis enim te promissi dictíque tenacem
Non orbe toto personat?
Ipsi te externi reges, quibus hæc tua virtus
Sic est abundè cognita,
Hoc tantum mirantur opus, téque, optime, summis
Dignum fatentur laudibus.
Quippe, Deus, solio sedeas licet arduus alto,
Cuncta super imminens procul,
Cũcta tamẽ tum magna potẽs, tũ parua, suprema
Ex sede præsens despicis.
Tu me igitur fessum recreabis, tu mihi rebus
Vires in arctis suggeres:
Iniectáque manu, sæui me prorsus ab hostis
Tutum furore proteges.
Nec, tua quãdoquidem bonitás que fidés q̃ perẽnis
In cuncta durat secula,
Incepto priùs absistes, quàm scilicet omne
Tuum hoc opus peregeris.

PSALM.

PSALM. CXLVIII, Laudate Dominum de cælis, &c.

FELIX sidera turba sedens domo,
AEternis Dominum carminibus cane:
Vos (inquam) ætherei luminis incolæ,
AEternis Dominum tollite laudibus.
Felix turba Patris iussa renuntians,
AEternis Dominum carminibus cane:
Et quotcunque Deum cingitis agmina,
AEternis Dominum tollite laudibus.
Solis fulgida fax, ætheris ô decus,
Mundi luna decus totius alterum,
Et quæcunque polo sidera curritis,
AEternis Dominum tollite laudibus.
Cælorum ignea vis perpetuò rotans,
AEternis Dominum carminibus cane:
Suspensum aëriis fornicibus mare,
AEternis Dominum tollito laudibus.
Nanque hic est opifex vnicus omnium,
Nutu cuncta creans, cuncta regens suo,
Et quodcunque semel constituit, potens

Fixum perpetuo limite continet.
Immenſi è pelagi gurgitibus cauis,
Quotquot traïcitis cærula belluæ,
Ipſique oceani vos quoque gurgites,
AEternis Dominum tollite laudibus.
Grando fulguribus, fulgura grandine
Permixta, & gelida cum glacie niues,
Tempeſtáſque Dei vocibus excita,
AEternis Dominum tollite laudibus.
Montes aërijs nubibus æmuli,
Colles pampineis frondibus obſiti,
Incuruæ omnigenis fructibus arbores,
Cedri nubifero vertice nobiles,
Errantes pecudum cornigeri greges,
Diſperſæ nemorum per latebras feræ,
Terrarum colubri ſepoſiti cauis,
Et quotquot volucres aëra ſcinditis,
Terrarum domini denique principes,
Et plebs imperijs ſubdita principum,
Cuncti (inquam) proceres, iura quibus datum
Sublimi è ſolio reddere gentibus,
Et vos, ô pueri, vos quoque virgines,
Et lanugo quibus prima notat genas,
Vitæ & qui ſpatium curritis vltimum,

AEternis Dominum tollite laudibus.
Hic est, cuncta procul qui supereminens,
Cælum quâque patet, quâque patet solum,
Complet cuncta sui nomine numinis,
Et firmo Isacidas robore roborat.
Hunc ergo Isacidæ, sacrum hominum genus,
Et chari superûm præ reliquis Patri,
AEternis agedum dicite cantibus,
AEternis agedum tollite laudibus.

THEODORI

THEODORI BEZAE Sylua.

DEVOTIO P. DECII, PATRIS.

Sylua I.

IAM Romana acies verti, iam cedere læuo
Cæperat in cornu virtus Romana, nec vllum
Subsidium est: patriæ Decius quum totus amore
Feruidus, & geminas tendens ad sidera palmas,
Quò ruitis? (dixit) quò virtus prisca recessit?
Vnde fuga hæc? vnde iste timor? vos cedere notis
Hostibus, & toties victis dare terga Latinis?
At moueat iurata fides, sanctique Senatus
Imperiũ: moueántque foci, moueántque penates.
Dixerat. interea victor fugientibus hostis
Imminet, & trepidi nutant hinc inde Quirites.
Ille autem intrepidus, Quos consul sistere voce
Non potui, (dixit) reuocabo morte. sacrati
Me dudum hoc vates monuere, iecúrque recisum.
Ergo age sacrorum ô custos, concepta profare

Carmina: Romanis consul sit victima: nostro
Sanguine quæratur victoria, sanguine nostro
Placentur sæui manes, placetur Erinnys.
Mox igitur prætextam armis imponere iussus,
Velatúsque caput, mentóque innixus, & imis
Subiecto pedibus telo, imperterritus heros
His se deuouit verbis, præfante ministro:
Iane, & tu custos Capitoli Iuppiter, audi,
Et gemini Romæ autores, Mauórsq; Quirinéque,
Et reliqua in nostris notissima numina fastis:
Vos etiam ô manes Decium hæc audite precantē:
Siqua premit patriā nemesis, nunc vincere Romā
Crimina siqua vetant, Decius luat omnia solus.
Seruetur patria incolumis, pulsóque Latino,
Sublimes ducant Romani ex hoste triumphos.
Interea, collega, aciem patriámque tuere:
Ominor ecce fugam moriens mortémque Latinis.
Desierat: faciem lux protinus occupat ingens.
Qualis post noctis tenebras fulgore coruſco
Emicat, & totum illustrat sol aureus orbem,
Talis equo insiliens Decius sublimis habenas
Laxat, & in medios volat imperterritus hostes.
Illum fulgentémque armis cinctúque Gabino

Ipse admiratur Veseris, miratur & ipse
Iuppiter, & læuum tonat. audito omine læti
Prospiciunt Romani omnes, oculisque sequuntur,
Consulis attoniti facto. Iam terga Latinus
Vertit, & aduentu vnius mutata repentè
Sors omnis: redeunt acies, animisque receptis
Instant victori victi, tandémque feroces
Romanus pellit, Decio moriente, Latinos.

MORS CICERONIS.

Sylua II.

ERGO vt ventorum rabiem pelagíque furorem
Tullius indomitum aspexit, Conuertite vela,
(Dixit) & huic tandem morituro reddite ripæ.
Scilicet has grates gladiis erepta tuorum
Patria persolues? Nec plura effatus, ab imo

Corde trahẽs gemitº memoratæ ad nomina Romæ,
Imbre oculos, lacrymísque genas impleuit obortis.
Ac, licet aſsiduis exercita turba periclis,
Inuiti lacrymas nautæ tenuêre, diúque
Obnixi ſæuos pelagi tranſcendere fluctus,
Omnia laxarunt iratis carbaſa ventis,
Et tandem incolumem ſtatuerunt littore proram.
Deſcendit mœſtus Cicero, multóque labore
Mẽbra trahit confecta ſenex. ſimul vndiq; magnæ
Circunſtabat herum ſeruorum turba, periclis
Nec nimium ſtupefacta ſuis, nec tempore duro
Pollicitam fractura fidem. pars apparat enſes,
Pars domino aſsiſtit, cæcáque ambage viarum
Lecticæ impoſitum ducunt, ſi fallere ſæuos
Carnificum poſsint gladios. Sic Tullius ibat,
Tullius ille togæ princeps, magníque ſenatus:
Quum procul aduentare viros, inimicáque ſigna
Conſpicit, & ſtricto mortem procul enſe minãtem
Poppilium, cuius quondam ſeruauerat ipſe
Fortunas vitámque rei, quum libera Roma
Olim illum audiret miraretúrque tonantem.
Iam quoque ſæuus adeſt poſcitq; Herennius hoſtẽ.
Quid faciat? num fortè manus protendat inermes,
Aut mercede petat veniam? num flectere verbis

Defensi quondam conetur militis iras?
Hoc virtus ætásque vetant, & pectore in alto
Fixus amor patriæ, Romæq́, cadentis imago.
Vertite (ait) currus, plenis curratur habenis
Immeritam in mortem. Bruti Cassíque beatæ
Viuite vos animæ. quòd si non omnia nobis
Fata nocent, forsan neque nos moriemur inulti.
Iam vixi mihi Roma satis, me vita vereri
Acta vetat nigræ damnosa obliuia mortis.
Occide: at noscent venturi cuncta nepotes,
AEternámque dabunt morienti hæc funera vitã.
Immò (aut fallor ego, & frustra tibi Roma creatus
Augur eram quondam) non semper amica fauebit
Antoni fortuna tibi: ciuésque peremptos
Tempus erit victrix à te quo Roma reposcat.
Me iuuet interea meliores quærere sedes.
Desierat: iugulúmque parans, immota tenebat
Ora senex. Illum properantem in fata nec ipsi
Aspiciunt equites læti: positóque furore,
Vt glabrum videre caput canámque senectam,
Vix tandem inuiti lacrymas tenuêre cãdentes,
Ipsíque è manibus gladii cecidêre cruentis.
Vnus torua ferox torquens Herennius orã,
Degeneres quid statis? ait. simul ense superbo

Colla secat. nec adhuc satiatur cæde: scelestum
Adiunxisse scelus sceleri iuuat. ergo disertis
Ausas Antoni vitam signare tabellis
Cædit & ipse manus. morientem vidit ab alto
Inuitus cælo Phœbus: piceáque refertur
Nube caput texisse diu. fleuêre cadentem
Et flebunt Latiæ æternùm Graiæq; camœnæ.
Flexanimis verò Pitho (mirabile dictu)
Sueta illi quondam tum res tum verba loquenti
Suggerere, & suaui conspergere nectare linguam,
Vt patuit iugulus, moriente aufugit amico,
Et terras, heu nunquam reditura, reliquit.
Poppilius volat interea, truncóque relicto,
Antoni portat sæuis spectacula mensis.

NATALIA DOMINI.

Sylua III.

OBSCOENAS alius noctes turpésque tenebras
Infami celebret captans ex crimine nomen:

At tu casta meis potius sacrata eamœnis
Materies, ô nox, esto, qua virginis olim
Clausa licet sacro patuerunt viscera partu,
Viscera quæ cæli tempestatúmque potentem
Gestauere Deum, tandémque illæsa dedêre
Humanis cernendum oculis: tu conscia partus
Prima noui, tu nascentis primordia lucis
Luce prior nox vidisti. te cæca vetustas
Ah certè immeritò cæcámque atrámque vocauit,
Illius primos solis quæ senseris ortus,
Ipse acceptare fert clarus cui lumina Titan,
Et quæcunque micant splendenti sidera cælo.
Tu teneri primos vagitus prima puelli,
Tu primos cæli plausus, tu gaudia mundi
Audisti, nox ô felix, quum læta volantum
Ad Domini cunas resônarent agmina fratrum,
Et Domino totus nascenti applauderet orbis.
Tu vili impositum fœno, stabulóque iacentem
Es mirata simul, simul es miserata puellum.
Tu quoque pastorum pietatem, & nescia fraudis
Pectora mirata es, quum Tityrus inde relictis
Accurrens gregibus, CHRISTI natalia lætus
Viseret, hinc caderet Damœtas, surgeret AEgon:
Dum cæli monitis & claro numinis ore

Attoniti puerum properant inuisere regem.
Quid castæ matris curas, immixtáque curis
Gaudia commemorem? dum tanto pignore, cœli
Consortem agnoscit sese, natúmque tuetur
Ante pedes, nasci quem vix dum senserat ipsa
Parturiẽs, pariénsque simul, virgóque parénsque?
At vos interea spatiosa per atria reges,
Aut medios inter lusus, turpésque luparum
Fortè greges miseri infelix traducitis æuum,
Aut saturo efflatis pigros è pectore somnos,
Gens inuisa Deo, magni quam rector olympi
Et quondam spreuit nascens, & natus abhorret.
Felices tenebræ, quantumuis clara diei
Lux collata quibus, non lux, sed opaca videtur
Nox potius. nam certa diem sua tempora claudũt,
Et vicibus certis Phœbus surgítque cadítque.
Est quoque quum ingratæ vicinus ab orbe sororis
Sic premitur, nigra vt tectus ferrugine vultum,
Quod reliquis præbet lumẽq́, iubarq́, requirat.
At vobis, tenebræ, qui præbet lumina Titan,
Phosphorus ipse sibi est, & non finitus horizon.
Sed cur postremo patres te mense locarunt,
O nox, quam nostræ testem appellare salutis
Et decet & fas est? cur non hæc inchoat annum

Nox, quæ felicis ſpem nobis reddidit æui?
Scilicet exactos quæ nox finire labores
Spondet, & æternæ promittit munera pacis,
Iure etiam exactum nobis hæc terminat annum.
Adde quòd hoc primùm redituri tempore Phœbi
Spem capimus, ductore capro. iure ergo reuectos
Vno menſe duos olim memorare vetuſtas
Inſtituit ſoles. iure ô nox fauſta, piorum
Relligione patrum, toto vigilaris in orbe,
Applauſúque ſonas: ſed non tamen orgia qualem
Edere conſuerant, molli quum ſacra Lyæo
Inſanæ facerent matres, atque æra ſonarent
Semiuiri quondam ad Cybeles altaria Galli.
Sed qualem decet eſſe virûm, queis pectore in alto
Mens habitat, cæli patrium quæ ſpirat amorem.
Ipſe equidẽ tibi ſacra feram, nox, ſacra quotannis
Solennéſque preces addam, ô nox optima, noſtris
Materies nimium felix inuenta camœnis.

PRAE-

PRAEFATIO POETICA in Psalmum Dauidis quinquagesimumprimum.

Sylua IIII.

FORTE pererratis cælo terráque marique,
Ales Amor, (dæmon, quo non est certior vllus
Mortales pulchri falsa sub imagine mentes
Fallere, lethalíque animos afflare veneno)
Inuisæ sacras Iudææ callidus vrbes
Venerat: & iam tum magno molimine regem
Fundantem intuitus Solymas feliciter arces:
Progeniémque memor Iessæo ex sanguine duci
Venturam Satanæ excidio, Satanæq; ministris,
Méne, (ait) à prima qui victor origine mundi
His homines domui telis, horrendáque seclo
Diluuia inuexi (laus est hæc nostra) priori:
Cui Ninon, ingẽtémque incesta Semiramis vrbem
Sacrauit, nostras testantia mœnia vires:
Cui Sodome versa in cineres, ambustáque longè

In tenues abiit regio vicina fauillas:
Quo duce mille furens armauit Græcia naues,
Et nunc Troia nouem iacet oppugnata per annos:
Qui prius indomitum (quid nõ mihi fœmina præ-
Sampſonem inſano fregi meretricis amore: (ſtat?
Ieſſiadæ vnius non poſſe abrumpere cœpta,
Diuiníſque procul curis auertere mentem?
Dixerat iratus, pharetraq; accinctus & arcu,
Tandem ad Berſabes conuertit lumina vultus,
Berſabes, qua non formoſior altera cunctas
Iſacidûm populos inter numerata puellas,
Sed coniuncta viro, & mater iam digna videri.
Et mox tam raras mortali in corpore dotes
Miratus, patulæ radiantem frontis honorem,
Purpureáſque genas, pulchri & diſcrimina naſi,
Os roſeum, & flauos per eburnea colla capillos,
Marmoreúmque ſinum, porrectáq; brachia longè,
Et teretes digitos: Me verò ludere in iſtis
Fas oculis, (inquit) iuuat hinc vibrare ſagittas.
Eſte procul tela & pharetræ: nanque iſta miniſtrãt
Lumina tela mihi, lunatáque porrigit arcum
Vmbra ſupercilij. hinc regum Mauortia corda,
Fallor ego, aut infans olim vicisſe Cupido
Credar, & hæc varias ſpargetur fama per vrbes.

Sic ait: & subitò pharetráque arcúque relictis,
Aëreum indutus corpus (mirabile dictu)
Callidus affectans formosam hinc inde puellam,
Obseruat tacitus furtim: tandémque repertis
Sese oculis infert, claróque in lumine condit.
Illa deum sensit venientem, & læta recepto
Hospite, nil præter Veneris iam cogitat artes.
Omnibus arridet, pulchræ sibi conscia formæ:
Nunc sinit extrema crispantes fronte capillos
Ludere, nunc varia discriminat arte vagantes:
Iam celare sinum simulat, mammásque coercet,
Et superobiectat tenuis velamina telæ:
Iam cunctas ostentat opes, collóque superba
Nudato, pulchra mentitur imagine diuam.
Interdum excultis illi qui stabat in hortis
Marmoreo insignis labro atque perennibus vndis
Fonte lauat, celerésque oculis iaculatur amores.
Hanc igitur casu, vitreo tum fonte lauantem,
Nescio quid meditans sublimi Dauid ab arce
Conspexit, vir nec cuiquam pietate secundus,
Nec quoquam inferior vates, seu fundere dulce
Ore melos, digitis seu tangere plectra iuuaret.
Quid non audet amor? regis doctíque piíque
Protinus excusso violauit lumina telo:

At pauidus tanto caligat lumine Dauid.
Ecce irrumpit Amor dominus, sparsíque veneno
Sensibus, humenti mox calfacit ossa calore,
Atque imo tandem infligit sub pectore vulnus:
Mens quoque victa labat, flammísque oppressa fati-
Ipse sui oblitus cæcas sub pectore flammas (scit.
Dauid alit, nec iam studijs incumbit honestis,
Nec sibi iam quærit sese quibus artibus ipse
Asserat: hoc vnum noctúque diúque labore
Sollicitus voluit magno, qua callidus arte
Efficiat forma vt tandem potiatur amata.
Quid faciat? blandis adiungit munera dictis.
Paret Bersabe, tantóque autore peracta
Culpa placet: tumido sic est mox addita ventri
Sarcina. sed nondum Dauid sua gaudia credit
Plena satis. res ipsa placet, criménque probatur:
At metuit famam, dicíque recusat adulter.
Adde onus ignaro conceptum coniuge, quippe
Fortè aberat longè Vrias, & tempore in illo
Pro patriæ afflictæ rebus, populíque salute
Tractabat gladios miles. reuocatur in vrbem
Principis imperio: paret, castrísque relictis
Iussus adest. Illum nec formosissima coniux,
Nec nati traxere domum, sed principis aulam

Ingreditur

Ingreditur properans. ſimulato plurima vultu
Inquirit Dauid, quam tandem exercitus vrbem
Obſideat, quibus incluſus ſit mœnibus hoſtis,
Euentu quónam pugnatum. ſingula pandit
Ille, nec infœlix nouit quàm dira parentur.
Quippe, licet menſa exceptum, vinóque madẽtẽ,
Coniugis vt ſpreuiſſe thoros, auláque manere
Aſſiduum vidit Dauid, iam cenſet apertum
Omne ſcelus, iam facta palàm ſua crimina credit.
Vis igitur, ſed tecta, placet: capitíque parantur
Coniugis inſidiæ. quid non audetis amantes?
Iam nil iura valent, nil magni iuſſa Tonantis,
Expertúſque Deus toties. iam victus amore
Ipſe odit ſeſe. O ſemper nocitura voluptas,
Vt tranſuerſa rapis mortalia pectora tecum!
Nox erat, & latè carpebant omnia ſomnos:
At vigil inſano fraudes in pectore Dauid
Mille parat: calamum tandem poſcítque tabellas,
Et ſe de patriæ rebus dum ſcribere multa
Verſutus ſimulat, verſa in contraria mente,
Imperat vt pugnæ ſtatuatur in ordine primus
Vrias, primúſque ruat moriturus in hoſtes.
Ergo vt prima dedit venientis ſigna diei
Lucifer, Vriam mox in ſua caſtra reuerti

Rex iubet, inscriptásque duci perferre tabellas.
Lætus at ille volat, nec se sua fata tenere
Clausa manu nouit: tandémque in fronte locatus,
Immeritam infelix petijt per vulnera mortem.

Hæc Pater omnipotens ex alto singula cælo
Cernebat, iam tum iratus, quum cedere fœdi
Imperio insanum regem spectaret Amoris.
Vt verò insontem cecidisse agnouit amicum,
Et fuso hostiles gladios tinxisse cruore,
Tum demum infremuit totus, vultúmque serenũ
Iratus posuit: tremuerunt omnia latè,
Terribilíque procul sonuerunt astra fragore.
Protinus exorto compleri murmure cælum
Turbato cœpit Domino: veniúntque frequentes
Aligeri fratres, quæ tanti causa tumultus
Inter se rogitant trepidi, quæ litis origo,
Quos hæc ira notet: num totas fulmine terras
Perdere fortè paret, num cæli extrudere ciues,
Aut priscum reuocare chaos. quippe affore tempus
Audierant, ipsos olim quo verteret orbes
Cælorum, & totum flammis misceret olympum.

Cælorum in medio, quà se super omnia tollit
Sublimis moles mundum complexa rotundum,
Stat thronus & gemmis totus conflatus & auro:

Hîc ſuperûm reſidet Princeps, hinc ſingula cernẽs
Temperat æterno componítque omnia nutu.
Hunc geminæ circum dicuntur ſtare ſorores,
Iuſtitia, & placido lenis Clementia vultu.
Altera diſtricto cunctis velut enſe minatur,
Turbatíſque oculis teſtatur pectoris iras:
Altera blanditúrque oculis, ſimilíſque precanti
Vertere commoti memoratur numinis iras.
Huc igitur poſtquam conuenere vndique diui,
Tum Pater iratus, Quænã hæc dementia? quænã
Improbitas, (inquit) noſtrum contemnere numen
Mortales audere viros, & pectore ferri
Indomito autorem contra? quid plurima fando
Commemorem? terræq́ datas totius habenas,
Et maris imperium, liquidóque volantia cælo?
Mentem ego diuinam tribui, quæ libera mortem
Deſpiceret, quæ me, quæ cæli ediſceret orbes.
Hoc cunctis commune bonum. quid propria natis
Commoda nunc referam toties conceſſa Iacobi?
Vos meminiſtis enim regis contuſa ſuperbi
Pectora, vos medio incedentes æquore turmas,
Deletáſque acies ſcitis, partóſque triumphos.
Scitis vt in terras ſummo deſcendere cælo
Suſtinui, vt leges illis & iura tuendæ

Sancirem vitæ: nostri quoque testis amoris
Sol erit, à sueto vetitus descendere cursu:
Et scissæ Iordanis aquæ, sonitúque tubarum
Captæ vrbes, pulsíque sua ditione tyranni.
Hæc illis igitur tribui. quid maxima verò
Tot bona commemorem Iessæo præstita vati?
Illi ego pastori memini tribuisse coronam,
Ereptóque pedo sceptrum donasse ferendum:
Quinetiam vasto memini eripuisse giganti:
Quúmque graues vrgere minas odiúmq; Saülis
Sensissem, tutum ipse dedi (miseratus egentis)
Exilium, & placida florentia regna quiete.
Nunc tamen antiquos mores imitatus auorum,
Oblitúsque mei, nec cæli spernere leges,
Nec crudele scelus sceleri iunxisse veretur.
Hinc leges, hinc iura iacent violata sacrati
Coniugij, hinc noster non digna morte peremptus
Vindictam petit Vrias. nunc ergo superbum
Vlciscar regis pectus, populúmque ferocem
Delebo iratus, nostri monimenta doloris.

Desierat, toto exoritur quum murmur olympo.
Protinus at mæsto assurgens Clementia vultu,
Cõqueritur lacrymans. nec enim, si plectere dignis
Suppliciis homines placeat, iam fulmina posse

Sufficere, aut animas deinceps captura nocentes
Tartara: desertum fore mox sine ciuibus orbem.
Frustra igitur toties miseris mortalibus olim
Est promissa salus? nec crescere virga sinetur
Expectata pijs? sua sunt stata tempora pœnæ,
Integra quum mũdi peritura est machina flãmis.
Ne, Genitor, ne te crudelem nomine dici
Quæso sinas: tua nota satis sunt numina mundo.
At si pœna placet, si res tam sæua probatur,
Hoc vnum rogito supplex, hoc pectore toto
Flagito, fas vt sit sceleris monuisse peracti
Dauidem: feret ille preces, tandémque furore
Deposito scelus hoc illi noxámque remittes.
Vix bene desierat mitis Clementia blandas
Ferre preces, quum deposita Pater optimus ira,
Conceptum penitus dilabi corde calorem
Sensit, & hæc tandem sedato pectore fatur,
At miseros seruare iuuat. Sic fatus, abire
Aligerũm mandat selectum ex ordine fratrum
Cæsarie insigni iuuenem, cui candida circum
Ludebat stola longa pedes, variæq; micabant
Distinctæ veluti gemmis rutilantibus alæ:
Qualis ab Eoo vehitur (mortalia rebus
Si fas æthereis componere) psittacus orbe,

Aut nubes inter qualis nitet iris aquosas.
Hunc igitur properè Solymorum inuisere terras
Imperat Omnipotens, vatíque aperire Nathani
Et scelera & scelerum autorẽ: quem sedulus ipse
Arguat, & meritum ostentans pro talibus ausis
Supplicium, culpam cogat criménque fateri.
Nec mora: iussus adest, primóque à limine regem
Compellans vates, Salue rex, (inquit) & audi
Quid sceleris media ecce recens euenerit vrbe.
Ecce, fuit pecoris quidam ditissimus vnus,
Et pecoris quidam contrà pauperrimus vnus:
Illi mille greges, ouis huic tantùm vnica, verùm
Chara fuit, primis paruam quam eduxerat annis,
Et mensa & pariter lecto dignatus eodem.
Ille aduentantem casu excepturus amicum,
(Proh facinus) bubúsque suis ouibúsque pepercit,
At miseram arripiens vicini pauperis, eheu,
O rex, mactauit sæuus coxítque bidentem.
Dauid ad hæc animo grauiter cõmotꝰ, At (inquit)
Sic faueat dextrum mihi numen, vt iste cruentas
Dignus qui proprio pendat vel sanguine pœnas,
Pauperis octuplici pensabit fœnore damnum.
Hæc ille. intuitus toruo quem lumine vates
Ergo (ait) infelix, audi quid numinis ira

Nuntiet. ô regum rex indigniſsime, téne
Tam ſubitò oblitum quanto te euexit honore
Cunctipotens, inopem mediiſque ab ouilibus olim
Acceptum, & ſæui toties totiéſque leonis
Faucibus ereptum, ſolij quum ſede locaret,
Sacrarétque iſto tantum diademate regem?
Tén' miſerum tali pollutum cæde, quietem
Ducere, quẽ ad pœnã poſcãt pro immanibus auſis
Crimina? ſic igitur turpem traducere vitam
Amplexus medios inter? geminóne nocentem
Crimine, cælorum fas eſt conuexa tueri?
Qui ſuperos, qui te, patriámque, tuóſque ſceleſtus
Prodideris? at tempus erit quum cæde tuorum
Ipſe oculos paſces, bellíque domeſtica ſurgent
Semina, & inceſtus, & fratrum vulnera cernes.
Tu modò flecte Deum lacrymis. Sic ille tonare
Vix bene deſierat, quum toto expalluit ore
Dauid, & attonitus vix tandem voce recepta,
Peccaui infelix, inquit. Nec plura loquutus
Protinus è ſolio miſer exilit, & ſua pugnis
Pectora cũ gemitu plangens, ſceptrúmq;, coronãq;
Abijcit, & partes animum conuertit in omnes.
Ergo miſer nunc inuiſos accuſat amores,
Nunc iußæ meminit cædis, criménque fatetur

Conscius, & casum insontis deplorat amici.
Multa est ante oculos Bersabe, at nulla calores
Intus flamma parit: victus cum matre Cupido,
Et pauor in vacuo solus iam pectore regnat.
Quid faceret? flentem ipse licet veniámq; precantẽ
Mutata subitò soletur voce Nathanes,
Pacatam his lacrymis affirmans numinis iram,
Semianimis pergit lacrymans, & , vate relicto,
Spémque metúmque inter, lucẽ vitámq; perosus,
Nil præter latebras captat. Palatia ponè
Antrum erat horrendũ, fracti quâ culmina mõtis
Exesas vasta claudebant mole cauernas:
Horrebántque rubis latè omnia, & vndiq; sentes
Dumíque tribulíque, & soli inuisa vorago.
Huc igitur multo turgentia lumina fletu
Aduertens casu sublimi Dauid ab arce,
Vespere iam seras noctis properante tenebras,
At tu, tu nostri domus (inquit) conscia luctus,
Tu mihi testis eris iustorum nempe dolorum.
Sic faueas nostro rubicunda ex crimine luna:
(Fortè erat, aut visa est Phœbe rubicũdior) at vos
Sidera, quæ inuisos toties vidistis amores,
Mutatum spectate virum. Sic fatus, eburnam
Suspendit zona citharam, qua suetus ad omnes

Mentis erat curas vti, qua sæpe sonante
Depulerat sæuos inimico à rege furores.
Ergo abit, atque sago velatus membra cucullo,
Præcipitis tandem euadit super ardua montis
Culmina: mox antrũ ingreditur, largóq; madẽtes
Imbre oculos cælo attollit: tandémque recepta
Mente, miser tales tremebundo pectore fletus
Orditur, mœstas cithara resonante querelas.

~~*Vnam preterea sylvam in calce horum poematum habebis.*~~

THEODORI BEZAE Elegiæ.

T. LIVIO & P. OVIDIO NASONI cenotaphium. Elegia I.

ECCE, iterum Iani nobis rediere calendæ. (taferunt!
Hei mihi quos luctus funera quan
Roma Tito quõdã celebrata est maxima magno,
Est quoque Nasonis carmine dicta sui.
Quæ te Naso tulit, quæ te Tite sustulit orbi,
Inter funestos est numeranda dies.
Non adeo infelix quæ infames sanguine Cannas
Lux videt, & Latio tristia cuncta foro.
Nullum igitur munus nunc expectetis amici,
Munera temporibus sunt minus apta malis.
Fas mihi sit patrum priscos contemnere ritus,
Fas mihi consuetas mittere iure preces.
Cernite nunc tristi ploretur vt vndique cælo,
Mersáque demisso terra sub imbre natet.
Ecce, Venus pullo vestita incedit amictu,
Dilaceránsque genas, dilaceránsque comas:

Et pharetræ oblitus, luctúque immersus acerbo,
Nasonis cantat carmina mœstus Amor.
Ipse suas Ianus damnátque odítque calendas,
Et sua de fastis tollere festa parat.
Flet quoq; Neptunus, flet rauci sona Amphitrite,
Et patrio plorat gurgite mersa Thetis.
Peligna lacrymis implent rura omnia Nymphæ,
Et querulus Pataui permeat arua Padus.
Túne igitur lacrymas retinebis Roma cadentes,
Nec poteris cæli quæstibus esse comes?
Hei mihi, quid te olim, clemens Auguste, coëgit
Nasonis sacrum sic violare caput?
Iulius hæc olim non fecit auunculus, ille
Qui dedit Italiæ sceptra secunda tibi.
Et te iam meritò clementem dicere quisquam,
Ingeniúmve potest dicere mite tibi?
Quæ nunquam Augusti potuit lenire furorem,
Sciuit inhumanos flectere musa Getas.
Nanque Tomitanis exul lugetur in oris,
Nasoníque parat barbara turba rogos.
Lugete ô miseri vates, totúmque iubete
Parnassum alternos ingeminare sonos.
Flentibus en aderit Phœbus, Palláque fauebit,
Et peraget partes numen vtrunque suas,

Vos quoque quos cæli digniſsima cura fatigat,
Ne (rogo) ne quinta quærite luce lyram.
Illa etenim lumen cælo terríſque negabit,
Lætáque cum charo tartara vate colet.
At vos, ô manes, quorum nec longa vetuſtas,
Nobile nec delet nomen auara dies:
Vos, inquam, ſolos Iani gaudere calendis,
Vos dare lætitiæ mutua ſigna decet.
Quippe Titum vobis lux addidit iſta peremptũ,
Hæc quoque Naſonis lux dedit arte frui.
Ergo occurriſtis manes venientibus illis,
Totáque in amplexus mortua turba ruit.
Ennius inde pater medium complexus vtrunque,
Hic (ait) eſt Latij gloria tota ſoli.
Mox Varro & Cicero properãt, terſúſq; Catullus:
Mox quoque cum Nemeſi culte Tibulle venis.
Et tu qui dubium feciſti nomen Homeri,
Laudem cui debent, rus, pecus, arma ſuam.
Quid reges memorẽ priſcos, fortéſque Quirites,
Quoſcunque exoriens Roma vetúſque dedit?
Scilicet iſta Titum venerata eſt vndique turba:
Hannibal aſpecto ſurgit & ipſe Tito.
Vos, ô vos manes, æternos ducite luſus:
At nos perpetuò cura dolórque prement.

Hanc igitur lucem luctu celebrabo quotannis,
Et ficto iniiciam thura merúmque rogo.
Hi tumulo versus deinde inscribentur inani:
Forsan & hos olim postera turba leget.
Quisquis ades, vacuum Nasonis cerne sepulchrũ,
Quisquis ades magni cerne sepulchra Titi:
Orphei quod precibus Plutonia regna dedêre,
Hoc Titus & magnus Naso dedêre sibi.

SALMONIO MACRINO IVLIODUNENSI, Querela peste laborantis anno Domini 1551.

Elegia II.

QVIS putet in media conscribi carmina morte?
Morte tamen media carmina scripta legis.
Quòd si fortè negem, res arguet ipsa negantem,
Et numeri prodent languidiore sono.
Nempe adeo est animi strictus cum corpore nodus,
Langueat istius fessus vt ille malis.
Sed quanuis morbi corpus sub mole fatiscat,

Victa nequit morbo cedere musa tamen.
Mirum equidē, tacuit ternos quæ musa per annos,
En domino gestit nunc moriente loqui.
At furor hic alter, Macrini nobile nomen
Vsurpare meo quòd leuis ore velim.
Tu tamen istius nobis es criminis autor,
Tu facis vt cupiat muta camœna loqui.
Nam moribundus ego vitæ quum fortè peractæ
Mente recordarer singula facta meæ,
Ecce, alios inter subijt Macrinus amicos,
Quos ego, desertos corpore, mente colo.
Et mox, O coniux, (nam coniux optima nostro
Fida hæsit lateri nocte diéque comes)
Fasciculos (inquam) chartarum sedula profer,
(Exilium has nobis nempe reliquit opes)
Inter amicorum moriar sic nomina felix,
Post quam inter vetitum brachia posse mori.
Paret: amicorum agnosco cum nomine dextras,
Et tremula moriens tracto retracto manu.
Fudi etiam lacrymas, & nomine quēque vocaui:
Quinetiam chartis oscula mille dedi.
Ecce, tua occurrunt nostro conscripta recenti
Exilio, at serò carmina lecta mihi.
Macrini ad nomen Phœbi exarsere furores,

Et redijt nobis qui fuit antè calor.
Miratur factum coniux, demiror & ipſe
Currere menſuris verba ligata ſuis.
Nẽpe Macrine tibi ſunt magnæ in carmina vires,
Cúmque tuo iunctum nomine numen agit.
Hoc facit vt morbi quum pondere victus anhelet,
Et miſerum Bezam peſtis acerba coquat,
Beza licet moriens carmen conſcribat ineptum,
Ruſtica pro lepido munere dona tibi.
Dona tamen grati Bezæ, qui quæ dare viuus
Non potuit, moriens munera parua dedit.
Beza igitur, quid agã, quæris? moriturus anhelo,
Nec queror excedens exul & ante diem.
Nil mouet exilium, nil patria, nil ſatis amplis
Succedens opibus quæ mihi pauperies.
Facta nihil fraterna mouent, nil ſæua ſenatus
Fulmina, non meritum quæ petière caput.
Exilium cauſa ipſa iubet mihi dulce videri,
Et deſiderium dulce leuat patriæ.
Exiguo didicit contentus viuere quiſquis,
Cæleſtes toto pectore quærit opes.
Hoſtiles moriens ſecurè ſperno furores:
Hoſtibus opto tamen pectora ſana meis.
Sic propero vitæ certus melioris ad aſtra,

Nec me ſpes adeo fallere certa poteſt.
Vos mihi vos lacrymas ſoli expreſiſtis amici,
Et (fateor) veſtri me ſuperauit amor.
Nec tamen inuitus terras vitámque relinquo:
Sic pateant cæli l̃mina celſa mihi.
Sed, fateor, quoties mentem ſubijſtis amici,
Me quiddam humana conditione pati.
Forſan & hoc, Macrine, legens miſerabile carmẽ,
Et quicunque tibi iunctus amicus erit,
Humanæ memores ſortis, tergetis ocellos,
Et quas non merui mi dabitis lacrymas.
At tibi, quiſquis eris miſeri qui cruda poetæ
Cenſueris fletu funera digna tuo,
Hæc poſtrema, precor, ſit flendi cauſa, fluátque
Leniſ inoffenſo vitáque mórſque gradu.
Quod ſupereſt, opto, Bezæ quos inuidet annos,
Annis adiungat parca, Macrine, tuis:
Vt niſi poſt longas charam, Macrine, Gelonin,
Cúmque illa Bezam ne comitêre moras.

IN

IN QVINQVE CONSTANTIſſimos Chriſti martyres, Lugduni crematos XVII cal. Iunÿ, anno Domini M. D. LIII.

Elegia III.

MIRA loquar: (linguis iuuenéſque ſenéſque fauete) (gi.
Digna canam à ſera poſteritate le
Lugduni audiſtis nimirum nobile nomen,
Quæ Planci auſpicÿs mœnia ſtructa ferunt:
Hîc vbi præcipitis Rhodani ſpumantibus vndis
Lentus Arar placidi fluminis addit aquas:
Vrbem diuitÿs longo iam tempore notam.
(Heu quàm diuitibus non licet eſſe pÿs!)
Vrbs igitur rariſ celeberrima dotibus olim,
Impietate magis nobilitata ſua eſt.
Nec me facta patrum narrare nefanda neceſſe eſt,
Vnum pro multis ſat memorare ſcelus.
Hîc nuper Chriſti felici de grege raptas
Vna, eheu, nuper flamma vorauit oues.
Vidit & ingemuit Pietas, & fertur ab alto

Tales cana Fides ore dediſſe ſonos:
Parcite, (quid merui?) crudeles parcite flammæ.
Hoc etenim hoc ardent viſcera noſtra rogo.
Mota videbatur (dictu mirabile) flamma,
Hoc ſibi teſtari diſplicuiſſe ſcelus,
Quando reluctantes crudelior ignibus ignes
Corripere inceptum turba coegit opus.
Flamma volat, ſanctóſque celer depaſcitur artus,
Nempe vt ſupplicii ſit breuitate leuis.
Ignibus in mediis (mihi credite vera loquuto,
Sic faueant cæli numina dextra mihi)
Pectora Chriſtum vnum torrentia ſuſpirarunt,
Et Chriſtum titubans lingua ſonabat adhuc:
Quum Pater ex alto charos miſeratus alumnos,
Hac ad ſe exutos corpore voce vocat,
Vos (ait) ô animæ, cæli germana propago,
Queis flamma in cælum dux patefecit iter:
Felices agedum regnis ſuccedite noſtris,
Felices noſtrum cingite vtrinque latus.
Sic ait: & celſa lætatus ſede locauit,
Quâ mundi immenſi machina tota patet.
Hinc coniuratos in Chriſti regna tyrannos,
Hinc Latiæ rident vímque minásque lupæ,
Hinc ſua deſpiciunt ſæuire in viſcera flammam,
Materia donec deficiente cadat.

Et iam flamma mori, iam rarus in æthere fumus,
Quum sic excelsa fatur ab arce Pater,
Cernitis hos cineres? sunt nostri hæc semina regni,
Gignere phœnices hæc mihi flamma solet.
Cernitis hos fumos? sic mundi nempe furores,
Quam rem cunque parent, nil nisi fumus erũt.

THEODORI BEZAE Epitaphia.

P. STELLAE IVRISC. Celeberrimo.

Mundus vt assidua frueretur luce, suóque
Viuere sol posset liber ab officio,
Lucifer in terras cælo migrare relicto,
Atque hominis faciem sumere iussus erat.
At mox vt Stellæ discessu clara deorum
Perpetua cœpit regia nocte premi,
Pœnituit mandasse Iouem, Stellámque vocauit,
Et solem antiquas iussit obire vices.

ADVOCATO CVIDAM.

O rerum varias vices, & ingens
Fortunæ paradigma sæuientis!

Clamosissimus omnium virorum,
Qui verborum operam omnibus locabat,
Nunc raptus Rhadamanthium ad tribunal,
Conducit miser antè quæ locabat.

GVLIELMO BVDAEO, VIro nostræ ætatis doctissimo, qui Lutetiæ obiit XIII. cal. Septemb. anno M. D. XL.

Ὅσσης Βουδαῖον γλώσσης ὀνομάσατο Φοῖβον,
Ἀμφοτέρας, ὀρθῶς Φοῖβον ἔειπε μάλα.
Ἄξια δ' οὐκ εἶπεν. μείζων γὰρ χ' ἠελίοιο,
Ὃς θνητοῖσι φάος καὶ καταδὺς παρέχει.

ANTONIO PRATENSI, CANcellario Galliarum, inter obesos obesissimo.

Amplissimus vir hîc iacet.

EOBANO HESSO.

Venerat exutus mortali corpore nuper
Hessus, vt infernis exciperetur aquis:
Quem toruè intuitus squalentis portitor orci,
Hic (ait) hic gratus manibus hospes erit:
Túne Syracusii calamos impunè poetæ,
Mæonidæque tubam pessime surpueris?

Dixerat: & media vates iam puppe sedebat,
Quum vetuit nautam pergere Mercurius.
Ne sæuito senex, (inquit) sibi vendicat istum.
Istum, inquam, superûm turba beata sibi.
Extinctis aliis potuit qui reddere vitam,
Ditis in hunc possunt iura seuera nihil.

IN CERATINVM PSEVdomonachum.

Flete cucullati fratres: iacet ille sepultus,
Ille vnus vestræ relligionis honos.
Ridete ô reliqui: risu dignißima res est,
Hæc sunt perpetuis funera digna iocis.
Quippe huius quondam, mendacibus omnia fucis
Perdere, sola diu solicitudo fuit.
At dum cuncta tegit, dũ fraudibus omnia velat,
Mors simulatorem non simulata rapit.

IO. QVELINO, SODALI charißimo.

Ille, Calliope, Quelinus, ille
Et tuus simul & meus Quelinus,
Ille, inquam, in media senex iuuenta
Aquis interiit miser sub illis,
Non quas fonte tuo hauserat, nec illis

Quas ſecum fluuij trahunt ſonantes:
Sed quas, dum vigiles terit lucernas,
Collectas aluit ſceleſtus hydrops.
Sic tuus periit tibi Quelinus,
Sic meus periit mihi Quelinus.
Ergo hunc Calliope ambo lugeamus,
Vt illum ſub aquis malis peremptum,
Seruemus lacrymis aquiſque noſtris.

IACOBO BELNENSI.

Hunc ſibi Belnẽſis tumulum, quem cernis inanẽ,
Struxerat, inuidit cui laqueus tumulum.
Debuerat certè, ſors vt foret omnibus æqua,
Tardius hic fieri, vel prius ille mori.

RENATO GENTILI.

Fracto gutture ſtare quem reuinctum,
Impellíque vides & huc & illuc,
Quondam purpureo ſedens ſenatu,
Primas Parrhiſio in foro tenebat.
Sed lucri ſtudio impotente victus,
Iuſto numine ſic iubente, viuus
Qui iudex malè ſederat tot annos,
Stare nunc malè mortuus iubetur.

GVLIELMO LANGAEO Insubriæ proregi.

Langæus ille magnus hic iacet, lector,
Quo nemo melior pace vixit aut bello.
Vitæ genus habes: mortis en genus disce.
AEtate consumpta laboribus multis,
Suis suorúmque omnium ferè exhaustis
Bonis in vsus Galliæ suæ, tandem
Interijt. Ergo pauper óccidit, dices:
Immò locuples, cui patria debuit tantum.

F. IO. DAMPETRO, VIRO alioqui optimo & doctißimo.

Clausus cœnobio latebat olim
Ille Dampetrus, optimus virorum,
Princépsque hendecasyllabon poeta,
Et clausus pariter latebat idem
Mole corporea, haud quidem (fatemur)
Obesa animis aut tenebricosa,
Verùm corporea, atque proinde tali
Vt diuinum animum velut quibusdam
Nexum compedibus tenêre posset.
At nunc cœnobiique corporisque

Vinclis Dampetrus exolutus exit.
Doctorúmque volat per ora liber,
Qui tamen moriens, ſuis amicis
Heu quot millia lacrymationum,
Heu quot attulit anxios dolores!
Ergo haud óccidit ipſe, (quod putaram)
Occîdit potius ſuos amicos.

FRANCISCO BORBONIO

Duci Anguiẽnenſi, in ludicro certamine interfecto.

Quum nuper gladios & fortem euaſeris hoſtem,
Hîc Franciſce iaces: nec tamen enſe iaces.
Sed nec in hoſtili potuiſti occumbere campo,
Nec fortis forti victus ab hoſte cadis.
Sedibus at patriis belli ſimulachra cientem
Miſſa infelici ſuſtulit arca manu,
Arca olim Stygia (vt credo) compacta cupreſſu,
Arca (heu) quanta nobilitata nece!
Arca in qua parcam Mauors abſconderat ipſe,
Audiit vt factis æmula facta ſuis.
Sic igitur miſerande cadis, nec cernere longùm
Illa tua licuit parta trophæa manu.
Ite ô mortales, & tempus fallite ludis:
En, ipſis mors eſt ſeria mixta iocis.

FRANCISCO I, FRANCORUM regi, bonarum literarum assertori vindicíque.

NOBILE, quisquis ades, regis venerêre sepulchrum,
Regis sepulchrum nobilis.
Nec pigeat mecum Francorum incommoda flere,
Dum multa paucis explico.
Corporis ac animi florentem dotibus, atque
Re facilè primum vt nomine,
Franciscum hunc regem sors olim vidit, & vnà
Inuidit, vt bonis solet.
Illum igitur ficto interdum demulsit amore,
Et inclytis victoriis:
Reppulit irata interdum, vultúque minaci
Tradidit in hostium manus.
Sed neque sors illum melior sic extulit vnquam,
Vt esset immemor sui:
Nec fors illi animos vnquam sic fregit acerba,
Quin victus illam vinceret.
Ergo suos cernens vanos inimica labores,
Et irritos omnes dolos,
Auxilium poscit supplex à morte roganti
Mors paret illi protinus,

Et regis primum è natis truculenta peremit,
Cui tertium mox addidit.
Heu, iuuenes ambos, ambos nil tale timentes,
Et non mori digniſsimos.
Tandem etiam (ô facinus) parta iam pace fruentẽ
Aggreſſa patrem ſuſtulit.
Sublatũ ingemuêre omnes, ſed præ omnibus, illæ,
Illæ camœnæ nobiles,
Hebræa, Græca, & Latiæ: quas ille fouebat,
Vt filias ſolet pater.
Quæ nunc, vt referant illi quæ præmia poſſunt,
Fouent viciſsim mortuum,
Et quantum in ſeſe eſt, à cæca mortis opacæ
Obliuione vindicant.

FRANCISCO FRANCISCI regis filio, veneficio interfecto.

Hũc etiam iuuenem extinctũ (rogo) cerne viator.
Hei mihi, cur viuum dicere fata vetant?
Hic eſt quo niti regnum debebat auitum,
Spes patriæ nuper, ſpes quoque prima patris.
Pro quibus intrepidus fortem dum fertur in hoſtẽ,
Ipſe illum Mauors vidit & obſtupuit:

Aggreſſúſque dolo & crudelis fraude veneni,
Suſtulit. heu magnis fraus bene nota viris!
Mactę tamen princeps: nam te mors ipſa fatetur
Non aliter vinci quàm potuiſſe dolo.

CAROLO FRANCISCI REgis filio, Aureliorum duci.

Gallia felici felix mihi patria nuper,
Idem etiam nuper réxque patérque fuit.
Ingenium (niſi me aſſentatrix turba fefellit)
Cæleſte, & ſummis æmula forma deis.
Iámque mihi externos Europa parabat honores,
Iam poteram magni Cæſaris eſſe gener,
Quando ferox blãda pro coniuge parca reperta eſt,
Quæ mihi pro thalamo ſterneret hũc tumulũ.
Nec tam erepta mouẽt tamẽ hæc me cõmoda vitæ,
Quàm doleo abruptum nobile pacis opus.
Sed quanquam haud potui pacem cõponere viuus,
Quis ſcit ab interitu ſurget an ipſa meo?

IANO GARNERIO Aurelio.

Ibat Ianus, & heu nimis ibat ſorte ſiniſtra,
Depictam pulſans picta per arua lyram.

Admirabantur ſyluæ montéſque ſonantem,
Et tacitis ſtabant flumina fixa vadis.
Quũ doluêre ſuas nymphæ requieſcere lymphas,
Et, Nouus hic Orpheus (mox ait vna) quis eſt?
Dixit: & aduerſum in littus trãſire parantem,
In medias traxit peſſima Naias aquas.
Ille cadit, fruſtráque abſentes clamat amicos:
Hei miſero præſens tempore nullus erat.
Aſpiciunt illum ſyluæ montéſque cadentem,
Cúmque vocãte vocant, cúmq; gemẽte gemũt.
Intereà Ianus toto bibit ore procellas,
Et ſub aquas tandem pondere victus abit.
Haud aliter canæ, venit quum meta ſenectæ,
Et cecinit mœſtum mox periturus olor,
Ingratum prono tandem bibit ore Cayſtrum,
Ipſe ſuis pereat donec alumnus aquis (tẽ
AEqua, tamẽ ſuperûm, ſtatuere hãc numina mor-
Morte vlla dignus ſi modò Ianus erat:
Ianus enim nymphas (nã vates magnus) amabat:
Nympharum in gremio debuit ergo mori.

IN VRANIEN EIVSDEM Garnerii vxorem.

Submerſum iuuenem iuuenis coniúxque maritũ
Quum Ianum Vranie cerneret ante pedes,

Fleuit, concidit, & ſingultibus interruptis,
Quum permiſiſſent ira dolórque loqui,
Heu, quæ te Naiaſ ſub aquis (ait) inuida merſit,
AEternos dignum viuere, Iane, dies?
Sic ait: & lacrymas tot circunfudit, vt illis
Penè ſit abſorptus tunc quoque Ianus aquis.
Quẽ deinde efferri ad tumulũ quũ cerneret, Eheu
Hunc etiam hunc (inquit) tu mihi terra rapis?
Vnda rape, & Ianũ rape terra: meos tamen ignes
Nec mergetis aquæ, nec mihi terra teges.

AVICVLAE ACANthidi.

Ergo iam innocuæ mors inſidiata volucri,
Pieridibus guttur ſacrum,
Guttur, quo nullum reſonantes purius auras
Amabili impleuit ſono:
Guttur quo nullum teretes demulſerat aures
Vel plenius vel dulcius,
Siue graui, ſeu voce melos reſonaret acuta,
Clarúmue fuſcúmue modulans,
AEterno infelix (ah fata, ah aſpera fata!)
Damnauerit ſilentio?
Non igitur deinceps, mea dulcis auicula, tecum

Curis ſolutus colloquar?
Nec domini digitũ multo cum murmure punges,
Et roſtro & alis increpans?
Nec ſubitò domini blando pacata ſuſurro,
Paſcêris eiuſdem manu?
Nec lucem arguta venientem voce ſalutans,
Pigrum excitabis ex thoro.
Nec te cunctarum volucrum referente canores,
In te vnica omnes audiam?
Finieris igitur, mea dulcis auicula, poſtquam
Mortis neceſsitas iubet:
Finieris (inquam) pariter vitámque modóſque:
At canere tibi non deſinam.
Quin potius numeris numeros penſabo viciſsim,
Cantúſque referam cantibus:
Vt cuius nequijt voces perferre, canorum
Inuita mors tumulum ferat.

ΕΙΣ ΑΝΑΚΡΕΟΝΤΑ.

Αἶ αἶ, οἰνοπότας πῶς θνῆσκες Ἀνάκρεον, αἶ αἶ,
Οἰνοπότας ἐθάδος ῥᾳ̃γα πιὼν στεφύλας;
Μηδὲ ἰς οὖς ἀποδιῇσιν ὀπαοπείσιεν Ἄιδαο.
Ἔρρε φίλοις ἑτάροις Βάκχε ἐποκπάμενε.
Πῇ δέ τις αὖ θανάτου φεύξεται, εἴ γε καὶ αὐτὸς
Αὐτὸς ἰδὼν θανάτου πρεσβύτερος ἐστὶ βίος;

ILLVSTRI HEROINAE, CLAVdiæ à Rieux, magni illius Franciſci Colligniÿ, Dandeloti domini, vxori.

Corporis atque animi quem Claudia viua maritũ
Summis beaſti dotibus,
Is nunc ſemianimis commune tibíque ſibíque
Hoc triſte marmor conſecrat:
Marmor, quod lacrymas olim iuſtóſque dolores
Diu loquetur poſteris.
Ergo vale, & vita fruitor meliore, beatos
Inter beata cælites.
Hæc eadem donec quæ nos mors cruda diremit,
Reddat ſecundò coniuges.

CONRADO GESNERO.

Te cælo mutante ſolum, Geſnere, volucres
Quæcunque pennis aëra permeant,
Repleuêre modis omnia trĩſtibus,
Migrantem amicum extrema ſupra ſidera
Omnes cum ſonitu graui inſequutæ.
Te cælo mutante ſolum, Geſnere, feroces
Gemunt in antris belluæ,
Et ſtabulis pecudes relictis.

Sibilis colubri te feri gemunt lugubribus,
Imósque quotquot sub cauernis
Occulta terrarum colunt:
Et flaccidum plantæ virentes,
Et pallidum flores nitentes,
Et marcidum arbores comantes.
Regna te per humida,
Et belluosus quâ ferit vndique
Reboantia littora pontus,
Planctu sonoro deflet Amphitrite,
Et liquidis sub aquis pisces natantes mutitant.
Natura te omnis denique vt fidum suorũ an-
Plorat sacrorum, muta (tistitem
Futura deinceps, ni loquaris mortuus.
Hæc inter tibi turbatus Gesnere parentat
Beza tuus, vati vates, & amicus amico,
His incompositis innumeris numeris.

ADRIANO TVRNEBO, REgio in academia Parisiensi professori, longè eruditissimo.

Esse quid hoc dicam, innumeri cur vndique vates
Quũ lacrymas fundant, Turnebe magne, tibi:
Vix tamen è multis vnus numeretur & alter,

Carmina

Carmina qui tanto funere digna canat?
Scilicet Amphrysi ad ripas vt diceris olim
Curam Admetæi sustinuisse gregis,
Sic iterum ficto nuper sub nomine Phœbe,
In mare quâ placidas Sequana ducit aquas,
Duxisti lectam Musarum in pascua turbam,
Duxisti: & cur non hæc mora longa fuit?
At nunc terrenæ pertæsus imaginis, ecce
E terra ad superos Turnebe Phœbe redis.
Hinc est sublato quòd mussat Apolline rauca,
Quæ fuerat vatum turba canora prius.
Ergo vel ipse redi, vel, Phœbo vt digna canantur,
Ipse tuum ad tumulũ Turnebe Phœbe canas.

ΕΙΣ ΓΩΒΕΡΤΟΝ τὸν Στέφανον.

Τὰς ποτ' Ἰουδαίης τε καὶ Ἑλλάδος, Αὐσονίης τε
(Φεῦ, φεῦ) ταὶ μούσας δεῖν' ἀπελαυνομένας,
Λθυκτέρη μέσῃ Στέφανος ξεινίσατο δῖος,
Ὁ Στέφανος, πάντων χαλκοχάφων στέφανος.
Εἰσόκε μισκάλων ἐθελοντὴς πλήθεσιν ἀνδρῶν
Εἶξας, πυλυετῆ οἷς πολέμισε χρόνον,
Ὦ, χερσὶ παπείδα ἰῶ φεύγων, ἀχάλκιον ἐοῦσαν,
Γαίας τ' ἀλλοδαπῆς γαῖαν ἄμειψιν ἑλών.

Κἀκεῖ χαλκοβατῆ κούρας δόμον ἐννέα δείμας,
Εἰς μακάρων πλέως ὄλβιος ἦκε δόμους.
Αὐτὰρ ἀποπλαμβοῦ πλῶμα ξείνοιο λαβοῦσαι,
Πλωάσασ' τ' ἰδίοις δάκρυσιν Ἀονίδες,
Ἐννέα τ' ἀμφὶ νέκυι ξένον ἧμαπα κωκύσασαι,
Τῇ δεκάτῃ χλοερῷ θάψαν ὑπὲρ πεδίῳ.
Ὡς ἀμάεσπον ἀεὶ καὶ πάντα ἐς ἧμαπα ζῶντα
Χαλκοχέφων θάλλειν τὸν Στέφανον στέφανοι.

VVOLFANGO MVSCVLO,
Bernensis Ecclesiæ doctori theologo.

Magno hæc funera Musculo parantem,
Magnum dicere musculum, Latinis
Quum sit auribus insolens, cachinno
Num Bezam excipies viator? atqui,
Rideas licet omnibus cachinnis,
Magnum dicere Musculum iuuabit,
Magni ad funera Musculi iuuabit,
Lacrymantibus omnibus phaleucis,
Responsantibus omnibus camœnis,
Eheu Musculе magne, personare.
Quem si serius hinc abire paulo
Siuisset bene cœpta finientem
Vitæ immensus amor beatioris,

Iacêres merita perempta morte,
Quæ nunc ingluuiem horridam ſacrati
Chriſto paſceris (heu) gregis cruore,
Romano lupa deſidens in antro,
Orbis magnanimos vorans monarchas.
Magnum & dicere Muſculum pudebit?

BVRDINO, INTIMO trium Galliæ regum ſecretario.

Ille ego cui curæ, cui magna negotia regum
Incubuêre diu: tanta cui mole grauato
Poſſe datum (nec enim certè diuinitus iſta
Indigno collata mihi memoraſſe pigebit)
Sic onus integra famáque fidéque tueri,
Innocuæ vt vitæ exemplum poſt fata relinquam.
Heu tamen, infelix, heu malè prouidus adſum,
AEternæq; reus pœnæ: ſi me ante tribunal
Chriſte tuum ſiſtas, horum memor antè malorum.
Ecquid enim tantæ poſſim prætexere culpæ?
Res ego dum regum, dum magna negotia curo,
Ah quoties terræ affixus, cæli immemor, & te,
Mi Deus, & me neglexi! heu ſplendor inanis
Offudit quoties tenebras, ne gaudia plenæ

Perciperem lucis! quoties turbæ atque tumultus
Oppleuêre aures, monitis ne fortè paterent
Christe tuis! mihi quum surdo, in præcépsq; ruẽti,
Quò malè sane ruis, quò te tandẽ abripis, heus tu
Burdine infelix? intúsque forísque sonares.
Ah quoties quotiésque sequi me recta paratum,
Abripuit rapidus velut in contraria vortex
Transuersum, rursúsque in deuia compulit aula,
Aula omnis sceleris mater nutríxque nefandi!
Subscripsit quoties multis manus ista reluctans,
Posthabita superûm miseris mortalibus ira!
Denique rem faciens, rem certè funditus omnem
Perdidi, & insanus studui ditescere damnis.
Aula apage, & procul ô proceres regésque valete,
Et quæ me bona lactastis tot falsa per annos.
Tu verò vna salus hominum, solúmque precanti
Perfugium, spretis quæcunque olímve recénsve
Partim ignara superstitio, partim intulit audax
Impietas, & nunc eadem quoque mõstra tuẽtur,
Hãc animã, Christe, hãc animã, seruato benignus,
Séque suúmque scelus clara tibi voce fatentem.

At vos, qui turbas inter tantósque tumultus,
Rectè homines mortem meditari & viuere posse
Creditis, vt quos deludunt insomnia læta,

Hæc vtinam faciant aliena pericula cautos.
Talia Burdinus moriens: quem sæpe diúque
Sanum assectatus, morientem denique ridens
Aulicus, Hæc & nos olim meditabimur, (inquit)
Interea verò vitáque auláque fruamur.

PHILIPPO MELANCHTHONI, singulari tum doctrinæ tum humanitatis omnis exemplo.

Et tu igitur tandem tumuli sub mole repostus
Die ô Philippe nunc iaces:
Et quam inuidisti viuus tibi tute quietem,
Cunctis quietem dum paras,
Ipsa tibi cura & sancti peperêre labores,
Charum ô bonis cunctis caput.
At tu funde rosas, funde isti lilia tellus,
Vt lilia inter & rosas,
Quo nil candidius fuit & nil suauius vnquam,
Recubet Melanchthon molliter.
Et grauis huic vt sis caueas, iuuenísve senéxve,
Qui nemini vixit grauis.

EIDEM.

Cui niueus toto regnabat pectore candor,
Vnum cui cælum cura labórque fuit:

Num rogitas qua sit dictus ratione Melanchthon?
Scilicet Euxinum qua ratione vocant.

MARTINO LVTHERO, Antichristi Romani domitori, trophæum.

Roma orbem domuit, Romam sibi Papa subegit,
Viribus illa suis, fraudibus iste suis.
Quanto isto maior Lutherus, maior & illa,
Istum illámque vno qui domuit calamo?
I nunc, Alciden memorato Græcia mendax:
Lutheri ad calamum ferrea clava nihil.

HVLDRICHO ZVINGLIO, Tigurino ecclesiastæ, pro patria cæso, pro Euangelio Christi cremato.

Zuinglius arderet gemino quum sanctus amore,
Nempe Dei in primis, deinde etiam patriæ,
Dicitur in solidum se deuouisse duobus,
Nempe Deo in primis, deinde etiam patriæ.
Quàm bene persoluit simul istis vota duobus,
Pro patria exanimis, pro pietate cinis!

PETRO MARTYRI VERmilio, Florentino, theologo excellenti.

Thuscia te pepulit, Germania & Anglia fouit,

Martyr: quem extinctum nunc tegit Heluetia.
Dicere quæ si vera volent, Re & nomine, dicent,
Hic fidus Christi (credite) μάρτυρ erat.
Vtque istæ taceant, satis hoc tua scripta loquuntur:
Plus satis hoc Italis exprobrat exilium.

ANDREAE HYPERIO, MARpurgensis Ecclesiæ doctori theologo.

Non Hyperis dedit hoc Hyperi tibi patria quōdā,
Quod superis potius ducis cognomen ab oris:
Nec tibi sors olim tribuit temeraria nomen,
Andreæ at ipsa suo ornauit te nomine virtus.
Hoc sancti mores, teneris hoc omnis ab annis
Vita probat, superūm curæ cæloque sacrata.
Ecquis enim melius, quisnam te fortius vno
Tarpeia aggressus depellere rupe tyrannum?
Certius an quisquam erranti per deuia turbæ
Cōmonstrauit iter superas quod ducit in arces?
Macte igitur virtute Hyperi, quem nec fera totū
Mors domuit, totum seruāt nec claustra sepulchri.
Quin superi meliore fouent iam parte receptum,
Altera dum tumulo quæ nūc pars clausa quiescit,
Exanimisque licet, iam cæli ad limen anhelat,

Euigilet felix: & quod tu dicerıs, illud
Euadas, Hyperi, tum re, tum nomine totus.

IOANNI OECOLAMPADIO
Basilienſi eccleſiaſtæ.

OEcolampadius, ſerena nuper
Lampas, æde ſacra Dei coruſcans,
Qualis limpidiórve puriórve
Vix vllis micuit lucerna ſeclis,
En mortis iacet obrutus tenebris.
At vobis malè ſit malæ tenebræ,
Lucis munere quæ breui fruentes
Eheu nos miſeros homunciones
Nocte ſic premitis tenebricoſa.
Sed bene hoc cecidit, nigræ ô tenebræ,
Quòd dum ipſam petitis, malæ, lucernam,
Laternam tamen obruiſtis vnam:
Laterna vt lateat quidem hîc ſepulta,
Ipſa ſed magis emicet lucerna.

PSITTACO.

Pſittacus, Eois quo nullus miſſus ab Indis,
Humanos finxit doctius ore ſonos,
Quo nullus vel amabilius vel ſuauius omnes

Dilecto fecit delicias domino,
Languentem miseratus herum, mox languit ipse,
Et fuit (ô fatum!) tam grauis iste dolor,
Vt pia maluerit vitam finire volucris,
Tot mala quàm domini tam diuturna pati.
Fallor, an ex hominum infidis nunc cœtibus exul
Ad genus hoc volucrum fugit amicitia?

INSIGNI HEROINAE CARlottæ à Laual, magni illius Galliarum thalassiarchæ, Gasparis à Coligny, vxori.

In superos iterum & veræ pietatis amantes,
Distringi regum gladios, iterúmque furentes
In sua (proh facinus!) grassari viscera Gallos:
Denig, magnanimum, patriæ ac virtutis amore,
Obiectare caput dubij in discrimina Martis,
Heroem heroina videns Carlotta maritum,
(Terrenas pridem curas sordésque perosa
Carlotta, & cœli iam tota ad lumen anhelans)
At potius moriamur (ait) tua quàm Deus alme,
Numina calcari his oculis cernamus inultæ:
Vel te, te quæ me genuisti Gallia quondam,
Cernamus miseræ miseram in tua fata ruentem.

Denique ne, chare ô coniux. Nec plura loquutæ,
Coniugis ad chari nomen vox faucibus hæsit,
Et verba ac vitam dolor ingens intercluſit.
Tũ verò extinctæ incumbens Colignius heros,
Ergo (inquit) meliore vale iam ſede recepta,
Téque iuuet, mens ô félix, præiiſſe marito.
Vos porrò exuuias curate: at tu Deus alme,
Qui me tam vario rerum diſcrimine verſans,
Iam tibi delectum ſacraſti, audito precantem,
Et quicquid vitæ viduo ſolíque relicto
Iã ſupereſt, quicqd ſupereſt mihi ſanguinis, illud
Fac tibi, fac patriæ morte impendatur honeſta.
Dixit, & ipſe ſui victor, licet æſtuet ingens
Corde dolor, iubeátque pios intendere luctus,
Publica præpoſuit, propriorum oblitus, & arma
Circundans humeris, ſocios & caſtra reuiſit.
Illam autẽ exanimẽ pietas multúmq, diúque
Ploratam, manibus tandem extulit ipſa ſuorum:
Elatam fleuêre omnes ditéſque inopéſque,
Ingemuêre etiam Charites, luxêre Camœnæ,
Háſque illi lacrymas, iſtæc monimenta ſacrarũt.
At tu iſtud quicũque legis lacrymabile carmẽ,
Non lacrymis lacrymas, non planctus planctibus
addes?

MELIORI VOLMARIO,

præceptori, & Margaritæ, ipſius coniugi, vno eodémque die mortuis, eodémque tumulo conditis.

Coniugÿ exemplum rarum certúmque beati,
Spectate cuncti coniuges.
Vna dies nobis Meliorem ſuſtulit, vna
Et Margaritam ſuſtulit.
Sic vno quos vita thoro coniunxerat, vno
Mors vna tumulo condidit:
Vna ambos donec reddat lux vnius olim
Beatitatis compotes.

EIDEM MELIORI.

Mi Melior, quo nec melior nec doctior vllus
Noſtrum beauit ſeculum,
Túne iaces, mutíque taces ſub mole ſepulchri?
Et Beza ſtat, Beza loquitur?
Stat certè & loquitur: ſed cui nec viuere dulce,
Nec dulce poſthac ſit loqui:
Verùm dulce mori fuerit, tecúmque ſepulchri

Vno latêre sub specu.
Nanque iacent tecũ Charites, iacet ipsa venustas,
Et omnis Aonidum chorus.

IISDEM.

Quum tumulo lateat Melior Volmarius isto,
Cui Margarita adest comes,
Est illi cur inuideas, Mausole, diúque
Celebrata pyramidum strues.
Nanque nihil melius Meliore, nec India quicquã
Fert Margarita carius.

PETRO A BEZA, PATRI,
Vezeliorum præfecto, mortuo sub initia
Gallici prioris belli ciuilis, pro tuenda religione exorti.

Ergo iam extinctus gelidi sub mole sepulchri,
Pater, iaces? iaces, pater?
Nec mihi posse datum misero saltem auribus istis
Audire voces vltimas?
Nec licuit vitæ certum melioris ad astra
Votis euntem prosequi?
Non ego, non, eheu, morientia lumina vidi,
Piáque compressi manu:
Altera pro Christo dum me pia cura remordet,

Proceréſque diſtinent procul,
Sorbonicæ oppoſitum contra molimina gentis,
Lupæq́ Romanæ minas.
Eſſe pium ſic me pietas (mirabile dictu)
Et iuſsit & vetuit ſimul.
At tibi, chare pater, quæ præſens ſoluere iuſta
Charus nequiuit filius,
En tandem extincto mœſtus perſoluit, & ipſis
Seris dicat nepotibus.

MARIAE BVRDELOTTAE, matri dulciſsimæ.

Vix dum viuere cœperam puellus,
Mater, viuere quando deſtiſti:
Vt te vix ego dixerim parentem,
Vix tu me quoque filium vocaris.
Hinc luſtris tibi quinque iam ſepulchri
Sub hoc pondere frigidi peractis,
Nunc primùm Aonidum fauore fretus,
Heu mater, cineres tuos ſaluto.
Felix ah nimium futurus olim,
Si natus citius forem vel ipſe,
Vel tu mortua ſerius fuiſſes!

MAGDALENAE A BEZA,

sorori charissimæ, & mulieri lectissimæ.

Eheu hendecasyllabi miselli,
Vos (inquam) miserabiles phaleuci,
Vos eheu numeri seueriores,
Quæso, suggerite vndiquaque quicquid
Latet tristitiæ & doloris vsquam,
Mœrorisque, molestiæq;, curæ,
AEgritudinis, infacetiarum.
Nanque illa óccidit, illa Magdalene,
Communi mihi quæ parente iuncta,
Fratre cum puero soror puella
Ab annis simul educata primis,
Fratrem plus oculis suis amabat,
Et quam plus oculis meis amabam.
Ah (inquam) óccidit illa Magdalene,
Qua nec ipsa venustior venustas,
Nec fuêre ioci iocosiores,
Nec ipsi mage amabiles amores,
Ipsa nec mage suauitas suauis,
Casta nec mage castitas vel ipsa.
Nec tantùm periit tua hæc venustas,
Et lepos, soror, omnis ille tecum:
Sed siquid cecini elegantiarum,

Si nec illepidum nec inuenuſtum
Quicquam olim potuit meum videri,
Omne iſtud ſemel abſtulêre ſecum,
Quæ te, te ſoror, abſtulêre fata.
Ite ergo procul, ite nunc camœnæ,
Abite, obſecro, quærite otioſos,
Cadunt cuncta quibus ſecundiora.
Nullis ſe numeris modíſve, Muſæ,
Dolor ſuſtinet iſte contineri.
Quorſum ergo immodico modos dolori?
Quorſum iſtas etiam eiulare chartas?
An vt ſint lacrymæ hæ meæ perennes,
Et tu cum his lacrymis, ſoror, perennis?

NICOLAO A BEZA, PATRUO, ſenatori Pariſienſi.

Marmoreas, lector, nullas hîc ſtare columnas,
AEra nec artificis viuere iuſſa manu:
Nec tumuli ſpectas operoſam ſurgere molem,
Qualia Mauſoli fama ſepulchra canit.
Sic ſtudeat nigræ vitare obliuia mortis,
Qui nil quo melius nobilitetur habet.
Hic autem magni quondam pars magna ſenatus,
Et nullo, aut ſolo Beza Catone minor,
Scilicet è tumulo famam nunc captet inanem,

Extincto viuens posthumus ipse sibi.
Fas alios igitur nomen debere sepulchris,
Beza suum contrà nobilitat tumulum.

IOANNI CALVINO, GENEuensi ecclesiastæ, in publico cœmeterio Geneuensi, nullo sepulchri apparatu, condito.

Carmen ἐπίμικτον.

Romæ ruentis terror ille maximus,
Quem mortuum lugent boni, horrescunt mali,
Ipsa à quo potuit virtutem discere virtus,
Cur adeo exiguo ignotóque in cespite clausus
Caluinus lateat, rogas?
Caluinum assiduè comitata Modestia viuum,
Hoc tumulo manibus condidit ipsa suis.
O te beatum cespitem tanto hospite!
O cui inuidêre cuncta posint marmora!

EIDEM.

Te viuo, Caluine, fuit mihi viuere dulce:
Hei, quàm dulce foret, te moriente, mori!
Et tamen est, fateor, grata hoc mihi nomine vita,
Quòd, tibi quas fundam, sufficiat lacrymas.
Viue igitur Beza in luctus, tibi vt vsque perēnes
Caluini in tumulum vita ministret aquas:

Iunctura

Iunctura absenti donec te rursus amico
Mors pariter vitam finiat & lacrymas.

VIXIT ANNOS LIIII,
MENS. X, DIES XVII.

Ex multis aliorũ epitaphiis in eundem Io. Caluinum passim scriptis, hæc demũ nunc visum est seligere quæ hîc apponeremus.

הקניה הזאת במות הרב יוחנן קלוינוס
קונן תלמידו הצעיר המכונה קולרוֹאוס׃

הִכְנִיס בֶּן־נוּן הַנָּגִיד בְּיָמָיו
כְּבֵשׁ חֵלֶק הַזָּהִיר בְּטֶרֶם סָף ׃
כָּאֵל עָשָׂה קַלְוִינוּס לְעַמָּיו
וְכֵן רוּחוֹ אֶל־אֵל רוּחוֹת נֶאֱסָף ׃

Id est, B. Cornelio interprete.

Promissam in terram populum deducit Hebræum
Iosua dux, alta pace iubétque frui.
Hostes deuincit, terram partitur, obítque,
Officij vt monuit sedulò quenque sui.
Præstitit ista suis Caluinus, & astra petentem
Spirituum Patri reddidit ipse suum.

קינה במות איש חכם נעלה לגדלה יוחנן קלוינוס לשם ולתהלה והוא שיר מורכב מיתד וארבע תנועות:

רְאוּ עִבְרֵי דַּרְכּוֹ — וְהַבִינוּ אִישִׁים
וְהִתַּמְּהוּ שׁוֹמְמוּ — מְאֹד כָּל־חַיְשִׁישִׁים:
מְנַגְּנִים יָשִׁימוּ — חֲלַף מְנִים תַּנִּים
מָקוֹם רִנָּה קִינָה — וּמִסְפֵּד בְּיַעֲנִים:
גְּדוֹל עֲצָה אִישׁ מֵת — וְיוֹדֵעַ בִּינָה
לְכָל־טַעֲמֵי מִקְרָא — וְהָיָה רֹאשׁ פִּנָּה:
בְּלֹא לֵב וָלֵב הָיָא — עֲבוֹדָתוֹ לָאֵל
וּמִשְׁמַרְתּוֹ תָּמִיד — בְּלֵב שָׁלֵם בֵּית־אֵל:
דָּבַר שַׁדַּי יַגִּיד — לְעַם יַרְבִּיץ תּוֹרָה
בְּכָל־צָרָיו נִלְחַם — וְהוּא לָהֶם מוֹרָא:
וְקָם עַל כָּל־אוֹיְבָיו — וְעָרַךְ מִלְחָמָה
עֲלֵיהֶם כֹּל אֲנָשָׁיו — בְּלִי עַל זַמָּה:
לְכָל־מוֹרִים סוֹרְרִים — וְסָרָה מַעֲמִיקִים

כְּלִי תַחְפּוּלוֹתָיו וְסוֹלְלוֹתָיו חֻקִּים׃
תְּמִים דֵּעוֹת לִבּוֹ וְלֹא יַעֲבֹר עַל פִּיו
יְבַקְשׁוּ הַתּוֹרָה וְהַמִּשְׁפָּט מִפִּיו ׃
וְלֹא קָם כָּמֹהוּ בְּדוֹרוֹ לֹא אַחֲרָיו
בְּמַלֹּאת אַחַר אֵל בְּקִנְאָה לַחֲצֵרָיו ׃
שְׁמוֹ הוּא קַלְוֹינוּס לָדוֹר דּוֹרִים יִפְרַח
שְׁמוֹ יַחֲלִיף כֹּחַ יְהִי כָּעֵץ אָזְרָח ׃
וְלֹא יֵרַקֵּב שִׁמְעוֹ וְרֵיחוֹ כַּלְּבָנוֹן
וְלִפְנֵי יֵרַח לְעוֹלְמֵי עַד יִנּוֹן ׃
וּמִי יַגִּיד הוֹדוֹ וְתָקְף מַעֲשָׂיו
הֲלֹא רַב מִסֻּפָּר וְעָצֹם סַךְ רַאשָׁיו ׃

משלי י׳

זֵכֶר צַדִּיק לִבְרָכָה ׃

דניאל י״ב

וְהַמַּשְׂכִּילִים יַזְהִירוּ כְּזוֹהַר הָרָקִיעַ
וּמַצְדִּיקֵי הָרַבִּים כַּכּוֹכָבִים
לְעוֹלָם וָעֶד ׃

קינה אחרת והוא שיר מורכב משתי תנועות ויתר
ושש תנועות רק בית השלישי מורכב משתי
תנועות ויתר ושתי תנועות ויתר
ושתי תנועות ויתר :

סְפֹדוּ לְקַלְוִינוּס עַמּוֹ דָּמוֹ
רַב הוּא לְכָל־תַּמִּים סַמּוֹ לָמוֹ
הוֹרַק לְרַחוֹק כָּל־קֶהִלָּה אַל תְּהִי
דּוֹמֶם אֲרוֹנִי עֵינְמוֹ שָׁמוֹ :

חוּשׁוּ לְמִסְפֵּד כָּל־תֵּבֵל אֵבֶל
קִרְאוּ וְתַחַת הַנָּבָל חָבָל
יֶאֱחוֹז לְבַבְכֶם גַּם שְׁאוּ קוֹלוֹת נְהִי
הַהוֹלְכִים אַחַר סֵבֶל חָבָל :

גַּם כּוֹפְרִים גַּם בֶּן מִינִים מִנִּים
הִפְּכוּ לְקִינָה כִּמְבִינִים קִינִים
אַחַר לְקַלְוִינוּס בְּוָא הַרֵב יְהִי
מָלֵא וְהוּא לַמַּלִּינִים צִנִּים :

קרני אל

ΦΡΑΓΚΙΣΚΟΥ ΤΟΥ ΠΟΡΤΟΥ.

Οὐκ ἔσβης ἱερὸν μερόπων φῶς, ὅτε Ἴαννε,
Ἀμπάλωμος φέγγεις ἢ αὖπυγ' ἐς αἰθελίω.
Ἠελίοις δὲ πόσις γαίης ἔπι κάλλιπες, ὅσσαι
Καλβῖν' ὦ καμάτων εἰσὶ πεῶν σελίδες.
Κεῖνό γε μιν συναχῦσι λεὼ ἅμα. εἰ γὸ ἔτ' ἔζης
Βαιόν, ἀπο χθονίοις παῦ σκότος ἐσκέδασας.

ΤΟΥ ΑΥΤΟΥ.

Καλβῖν', ὅσσος ἔης, πόντου πόροι, αἰᾶά τ' ἀπείρων,
Μάρτυρες, ἀκτίνων σῶν ἵκετ' ἔνδα σέλας.
Μάρτυς ἢ ἐπὶ λόφοιο δράκων Ῥώμης τεκμήριος,
Ὁ Σπυγὸς αἰνοβαρὴς ταρταρέοιο γόνος.
Ὧν σὺ δάμνας πληγῇσιν ἀεικέσιν, ὁππότ' ἀέθλοις
Ζώων παντοδαπῶν ἀν' χθόνα γ' ὀξετέλεις.
Νῦν ἢ ὅτε' οἰχομένου σμερδνὸν λόφον ὑψόσ' ἀείρει,
Φωλεοῦ ἐξαναδύς· ἀρὺ δ' ἔχιννε φάρυγξ
Ποιμνίῳ ἀμφὶ πεῷ. ὀλοὸν τέρας ἀλλὰ μέμνησο,
Ἴλιον Ἡρακλέους ὡς ἑάλω βέλεσιν.

ΤΟΥ ΑΥΤΟΥ.

Τίς δὴ ποιμανέει λαοὺς ἔπι; τίς ποτὶ κραίνας
Ἄξει νῶν καθαροῦ νάματος ἀενάου;
Τίς δέ κε θυμοδόρων ἀπαλάλκοι κήδεα νούσων;
Αὐλῆς ἠὲ λύκοις εἴρξετ' ἄπω ὠμοβόρους;
Ὤιχετο δὴ λαμπτὴν γαίης φάος, ὤιχετο ποιμὼν
Καλβῖνος, ψυχὰς βόσκεν ὃς ἀμβροσίῃ.
Τοιδὲ δακρυχέει Ροδανοῦ κάεσα, καὶ συναχῦσιν
Ἔθνεα παντοδαπῶν, ἀγνὸς οἷς μέλεϊ ἀσεβίης.

Οὐρανὸς ἀλλὰ μέγας πλυδαλέος, ᾧ ἔνι λάμπει
Τέρπετ' ἄγαλμα πόντῳ ὀφθαλμὸς κομιστὰ ἰδμος.

ΕΡΡΙΚΟΥ ΤΟΥ ΣΤΕΦΑΝΟΥ.

Ὃς δηρὸν Χριστοῦ παθιοδρόμος ἰῶν ἐν ἀγῶνι,
Καλβῖνος, κεῖται τῇδε βεβαιότερον ἐλών.

ΤΟΥ ΑΥΤΟΥ.

Ἔκτον ἔτος θνήσκει καὶ πεντηκοστὸν ἀΐσσας
Καλβῖνος, πλεόνων ἄξιος ὢν ἐτέων.
Ἄξιος ἰῶν πλεόνων, πύπτου ὃ θεοσδότου ἀνδρὸς
Ἀξία οὐχ ἡμῶν ἰῶν ἀχαριστοσύνη.

ΤΟΥ ΑΥΤΟΥ.

Καλβῖνος (φθῦ, φθῦ) πίτρα ὑπὸ τῇδε πίδακα βῆναι,
Ζωηφόρος ὃν ἔφα σοὶ πᾶς τις ἀπικνίσεται·
Εἰ δὲ φυλῶ πιθέεις καὶ ἥθεα εἰδέναι ἀνδρὸς,
Ἔνυπνον ὃν δέλτος κάλλιπεν αὐτὸς ἑᾶς.

ΤΟΥ ΑΥΤΟΥ.

Καλβίνου, τὸν γῆ καπεκεύθει ἥδε θανόντα,
Σῶμα ἰδὼν νοσερὸν τοὺς ἐμόγησε πόνους,
Θαμβήσας φαίης χρῆναι μὲν σῶμα παρ' ἄλλου
Τῶν μάλα τ' ὀυρώστων παντελέως τ' ἀϊόστων.
Ἔρρα δὲ εἰ νοέοις ἀ ψυχὸ θεν ἐκπεπόνηκε
Παντοδαποῖς τε λόγοις παντοδαπῆς τε γραφῆς,
Οὔπω μονόψυχον, (μερόπων γένος οἷά τε ἄλλων)
Ἀλλὰ πολύψυχον τόνδε κεν ἄνδρα λέγοις.

ΤΟΥ ΑΥΤΟΥ.

Πρόπαπος θεσπέσιον Χριστοῦ, καὶ δεύτερα πάντα

Καλβῖνος ταύτης ὃς ἦτο δουλοσύνης,
Ἐνταῦθα νῦν κεῖται, καὶ πολλὰ ἕρπετα λελοιπώς,
Τῆς μεγάλης Χριστοῦ δείγματα δεσποσύνης.

ΤΟΥ̃ ΑΥ̓ΤΟΥ̃.

Ὦ, ἦτο Καλβῖνος, σοὶ δ' αὖτ' ὤ, ἦτο ἀχλύς
Ἡ πρὶν Χριστιανῶν ὄμμασιν ἀμφεχύθη.
Ὦ, ἦτο Καλβῖνος, σὺν ἀπώλετο ψεύδεα λυγρά,
Ἃ πρὶν Χριστιανὸν οὔασιν ἐγκατέδυ.
Ὦ, ἦτο κεῖνος αὐτὸς, ὃν ἦτο δὲ καὶ λύκοι αἰνοὶ
Ποίμνιον οὐ γαίης τῆσδ' ἐλάφυσσον ἅπαν.
Ἀλλ' οὐκ οἰχομένοις ἀτραπὸς μία ἔπλετο πάντοις·
Εἷς γὰρ ὄλυμπον ὁ μὲν, πὶ δ' Ἄϊδός δε ἔβαν.

ΤΟΥ̃ ΑΥ̓ΤΟΥ̃.

Παπποπάτραι, πόσον πύπυ μόρῳ ἀχεπάσθε,
Ὡς φεσφυγόντες ἅπαξ τῆδε παλαισμοσύλῳ;
Κεῖται ὃς πλαγάς ὑμᾶς κατέκοψε παλαιστὴς
Πολλάκι παμπόλλας, παππολάτραι σκύλακες.
Ἀλλ' οὔπω πύπυ φενέντα παλαίσματα κεῖται,
Οἷς ἐπὶ τοὐτ' ὑμῖν αὐχπάλασεν ἔτη.
Ὅππα μὲν πύπυ καὶ ἀπνὸν ἔμπνοα ἔμπνης,
Ἀϊδόν τε μὲν ἔμπνοα ὄντα χθόνα.

ΤΟΥ̃ ΑΥ̓ΤΟΥ̃.

Τύμβος ὁ Καλβίνου ὃς ὀθνείοις ἔσκε Γενεύης,
Ἀλλά γε Χριστιανῶς, οὐχὶ δὲ Ῥωμαϊκῶς.

ὠδὴ ὀγδοηκοστὸς.

Στροφὴ α.

Πολυκάμπου Πινδάρου
Ποικίλων ὕμνων ὀπαδὲ,
Σωδίκου μοισᾶν κτέανον
Στεφάνων χλιδαῖς καλῶν,
Ἐμπρεπὴς ὦ χρυσέα φόρμιγξ ἀοιδᾶ.
Ἦρά σ' ἐγὼ κατελέγξω, εἰ μμαπὴς
Δαιδαλοπλύχων ῥώμαι
Σὺ ὀάρων, θεοδίνητος ὕδωρ
Ἀντλέων ἱερᾶς ἐκ Δίρκης,
Ἄφθιτον κωμάσαι ἄνδρα.

Ἀντιστροφὴ α.

Ἄξιος δ' αἰὴρ μεμίχθαι
Εὐλόγοις ἀνδρῶν ἀοιδαῖσι.
Εὐκλεὴς ὡς ἀθλοφόρος
Ἐν ἀγῶσιν ἅρματος.
Ἀλλά γ' ἀμηχανία κῦδος κλεΐξειν
Ἀμφιθαλὲς ἀέρων· ἥρωι δ' ἔοικα
Ὀρνέων κακοῖς ἐλίζειν
Πρὸς μελίφωνον ἀηδονίδα.
Ἀλλ' ὅμως ἀρκεῖ θέλημα
(Φασὶν) ἐν τοῖσιν μεγίστοις.

Ἐπῳδὸς α.

Καλβῖνε, τὸ μεῦ δίκαιον
Μὴ νεμέσα.

Μικροδρόου δέ τε φωνᾶς
Δέχνυσ' ἀμβρὴς χάεν.
Τὰ θεσπέσια γὰρ φερέζυγος
Οὐκ αὐτετάχθη μερόπων σοὶ
Ζώνῃ, κ' αὐδρωθέντι γύᾳ.
Ἥλιον δ' ὥσπερ θεὸς
Φωτιζέμεναι χθόνα σε
Σπῆσεν ἀκτίνεσσιν ἀ-
φθάροις σοφίης ἀγλαοπνεύματι πλάσσων.

Στροφὴ Γ.

Τίς πῆς δ' ἄγλης ἀπευθὴς,
Τίς θεογλώσσων ἢ ἐΐδλων;
Σᾷν σέλας θείων σελίδων
Μέροπας ἐπηβόλους
Θῆκεν, ὀνειροσκεθεῖς τὸ πρίν ποτ' ὄντας,
Οὐδ' ἄτοπον περαπείαν ἐκδιώκει
Συχνὸς, ἐκ σᾶς δ' ἀγχινοίας
Χειστιανὸς πολὶς ἀσεβέας
Ἐντολὰς ἔγνω, μάθεν τε
Ἐξοχ' αἰδεῖσθαι τὸ θεῖον.

Ἀντιστροφὴ Β.

Ἐκ σέθεν δ' αὐτὴ Γερέννα,
Ἱερὸ πόλις ἀκούει·
Ἐκ σέθεν δ' ἰϊσχύεσεν
Τὸ, Μετὰ σκότος, φάος.
Καὶ γὰρ διεσκέδασας πηλοῦ σκοτεινὸν,
Φέγγος αὐαχόμβος τὸ χρισόδεκτον.
Νῶν δ', ἀοιδίμη Γερέννα,

Σὸς καλὸς ἠέλιος πὶ πὰν
Κάλλος ἰμαύρωσε, φῶς δὲ
Αὖθις ἔξαλλαξεν ὄρφνη.

Ἐπῳδὸς ϛ̄.

Οὐ μὰν θανάπυ θίγξυ αὖ-
τὲς λαιθανέμου.
Κάλλιπε δὲ φλόξα θαλπινὰν
Πῦρ τ' ἐνεργὸν ἐν χθονί,
Ὅθεν τ' ἀνέζωχήσεται
Μικρῶν ὄμιλος ἑτέρων τε
Ἡλίων. ἀεὶ ζώσῃ
Παιπαχοῦ· μόρος δέ γε
Ὤδωσε μὲν ἀνθρώπων
Πρὸς φάος, τὸν' ἀσεβεῖς
Μόχοι μέτεχον ἐν δίφρῳ χρυσηλάτῳ.

EIDEM IDEM FLOR.
Christianus.

Quid querar? an poscam tristes epicedia Musas?
Aut Ceas vatem lacrymas? mihi Thracia iura
Bistoniósque placet ritus laudare, vbi nulla
Funera mentito decantat præfica luctu,
Nec placat nigros puerilis nænia manes,
Multa super tumulo plorans: sed lumine cassos
Excipiunt risu natos longóque cachinno.

Scilicet humanæ magna hæc vesania mentis,
Felices plorare animas, quum morte beata
Vitam infelicem falsæque incommoda lucis
Linquimus, & puro terram mutamus Olympo.
Ille quidem deflendus erit cui nulla salutis
Spes, cui nulla fuit certo fiducia cælo,
Qui vitam rectore & præceptore Epicuro
Direxit, vel fortuito res ire caducas
Sperauit lapsu, miserósque inglorius annos
Duxit in æternæ secura obliuia vitæ.
At nos, queis plenum sacro dedit vbere nectar
Relligio, qui iamdudum duce & auspice Christo
Cernimus hæredes sperati commoda cæli,
Quis furor æternæ fruituro lucis amico
Ingemere? aut tenebris quæ tãdem imponere finẽ
Inuidia est? siquidem nos magnæ munera vitæ
Induimúsque noua vita, exuimúsque perennem
Morte noua mortem, & mortis seruilia regna.
Nec sum adeò ignarus, nullo non posse mouer
Affectu mentes nostras, humanáque corda.
Non ita nos duros fragilis natura creauit.
Impetus, ira, dolor, metus, exultatio, risus,
Humanis animis hæc primitus insinuata,
Naturæ voluit Deus esse repagula nostræ.

Ergo gaudemúsque secundis, ínque dolemus
Aduersis: sic nos morituros flemus amicos.
Sed nos res propius rimamur, & altius ægras
Erigimus mentes: quanuis solamina amantum
Sint fletus, & sit quiddam pietatis in ipsis,
Nulla iuuant lamenta pios, & flere beatas
Inuidia est mentes. ideo potior patris Enni,
Quàm Graïj quondam sententia prisca Solonis,
Mors mea ne lacrymis careat, qui dixit: at ille,
Nemo mihi lacrymis nec fletu funera faxit.
Non ergo, Caluine, licet te maximus orbis
Defleat, amissúmque velut deserta maritum
Frãcia te procul exclamet, plangátque Lemannus,
Tristia pullato faciant & funera vultu
Iuráque nimbiferæq; Alpes, & dîa Geneua:
Gaudia propterea tua flent. incommoda nostra
Ploramus, duce tanto orbati, & non tua damna:
Grex veluti amisso balat pastore, lupíque
Incursum metuit, potius quàm damna magistri.
Aut velut immerso nauis rectore, rudentes
Stridere, & incipiunt medij se soluere funes:
Sic nos palamus, sic nos sine limite cursus
Deficit, & nostræ caligant vela carinæ.
Sed tamen ô, moriens bona sustentacula nobis

Liquisti, nos instruxisti insignibus armis
Romanæ contra prædonem & prælia cymbæ,
Et vos qui colitis lapides & ludicra ligna,
Puppásque, & viuo simulachra carentia sensu:
Vt quondam emeritus, quíque eiurata solebat
Munia militiæ annosus deponere miles,
Herculeis sua suspendebat postibus arma,
Placatura deos, & defensura nepotes.
Tu verò interea viuis Caluine beatus,
Et manet æterno viuax tua gloria cælo:
Quinetiam terris viuis longæuus & orbi.
Nec morietur enim sacræ facundia linguæ,
Certaménque tuis magnum est cũ morte libellis.

EIDEM ANTON. CEVALERIUS, Hebrææ linguæ professor.

Chara quibus fuerat Caluini vita, laborum
Gratior eiusdem vita perennis erit.
Hac siquidem viuit morti tumulóque superstes,
Et sacrum Christo pascit, vt antè, gregem.

EIDEM P. MELISSVS Schedius, Francus.

Quid blateras, nobis quasi iam sit lumen adẽptũ,
Merse erebi nigro, cæce sophista, lacu?

Aureus obſcura nunquam ſol interit vmbra,
Nec mutat rutilas ignea ſtella faces,
Nube licet picea, nebulæq; vaporibus atris,
Abſcondant radios ille vel illa ſuos.
Ac velut haud letho ſunt occubuiſſe putandi,
Queis oculos clauſit lenta ſopore quies:
Sic quoque viuit adhuc animo, ſed corpore ſummũ
Caluinus placidè dormit ad vſque diem.
Nec tantùm viuis modò, ſed quõdam quod agebas
Nunc agis, ô magni maxime præco Dei:
Nobiſcúmque hodie loquitur ſempérque loquetur
Spiritus, in ſcriptis qui viget vſque tuis:
Clarius & multo ſplendens tua gloria fulget,
Lucifer Eois quàm nitet ortus equis.
I procul vmbri ſequûm, procul i nigra turba ſopho-(rum,
Hei nihil ad tenebras lux facit vlla tuas.

EIDEM B. CORNELIVS, Hebrææ linguæ profeſſor.

Eſt Itali quiddam ſcorti monſtraſſe profuſos
Luxus, & ſordes annumeraſſe vagas.
At nouiſſe dolos, ſimul occurriſſe, animóque
Præſenti libros oppoſuiſſe ſacros:
Inde ſophiſtarum nodos ſoluiſſe, breuémque

Et veram ad Christum proposuisse viam:
AEterna in Christo Patris decreta, datámque
Iampridem electis intonuisse fidem:
Arcanum Cœnæ reseraſſe quibuslibet vſum,
Quóque illic Chriſtus dente premendus adeſt:
Denique ad illius iuſſa exegiſſe piorum
Et vitam & mores, hoc opus, hic labor eſt.
Hæc ſcriptis & re Caluinus præſtitit olim:
Quæ proba vita dedit, mors pia ſancit adhuc.

EIDEM L. G.

Pontificum terror, Romanæ buccina veræ
Nequitiæ, & ſanctæ relligionis amor,
Iucundúſque lepos, cani venerabilis oris
Gratia, & Hyblæo lingua referta fauo,
Doctrina excellens, animi præſtantia, acumen
Mentis, & humani deliciæ generis,
Fortis in aduerſis animus, prudentia conſtans,
Inſontéſque manus, ſcriptáque plena Deo,
Virtutis ſtudium, & toti lux reddita mundo,
Canáque honoranda cum pietate fides,
In miſeros non parca manus, pia cura ſuorum,
Et quicquid mores non ſinit eſſe malos,
Demiſêre caput quo tu Caluine ſepulchro,

Et tecum (heu facinus!) contumulata iacent.
Mentior: æternis etenim te laudibus ornant,
Et secum ad superas te rapuêre domos.

SONNET SVR LA MORT de Iehan Caluin.

Quand le ciel retira le Theologien,
Qui docte a surmonté la Papale ignorance,
La terre ayant perdu sa plus grande excellence,
Tu es (dit elle au ciel) enuieux de mon bien.
I'ay pris (respond le ciel) celuy qui estoit mien,
Le couronnant du pris de sa ferme esperance:
En terre il ne pouuoit faire sa demeurance,
Car il estoit celeste, & non pas terrien.
Cessez, (dit l'Eternel) & vo⁹ l'aurez tous deux:
Car ie luy ay donné vn nom tant glorieux,
Qu'il n'y a mort, oubli, ne tombeau, qui l'enserre:
Le ciel aura l'esprit, la terre gardera
La gloire de son nom: & immortel sera
L'esprit viuant au ciel, le nom viuant en terre.

AVTRE.

Ie pensoy' que la mort auoit trop tost fermé
L'œil, l'aureille, & la bouche a ce chef venerable,
Qui a veu & ouy le fruit inestimable

De son

De ſon dire excellent entre tous renommé.
Car maintenãt ſon corps, qui demeure enfermé,
Aueugle, ſourd, muet, au tombeau qui l'accable,
Ne voit & n'oit plus riẽ: & ſa bouche admirable
Ne peut plus enſeigner ſon troupeau bien-aimé.
Mais quand ie penſe aux maux ſuruenus apres luy,
Et qu'on ne voit, on n'oit, on ne dit rien qu'ennuy,
Que guerre, que tourment, qui de ſi pres nous touche:
Alors ie cognoy bien, Caluin, que tu es mort
En vn temps propre à toy, & qu'heureuſe eſt la mort,
Qui t'a fermé ton œil, ton aureille, & ta bouche.

AVTRE.

Lors que Caluin changea ceſte vie mortelle
A l'eternel repos de ſa felicité,
L'ennuyeux mois de May, qui le nous a oſté,
Changea tout au rebours ſa façon naturelle.
May, qui doit reſiouyr la terre vniuerſelle,
Et reueſtir les champs de ſa verte beauté:
May, qui doit deſcouurir la riche nouueauté

De mille & mille fleurs, que la terre nous cele.
May nous a despouillez de tout contentement,
May a changé son verd en dueil & en tourment,
Bref, ce May fut vn mois au mois de May cõtraire:
Car au lieu d'en donner, il a pris nostre fleur.
Mais en l'ostant du mõde, il n'a pas sceu tãt faire,
Qu'au monde il n'en demeure vne immortelle odeur.

A. Zamariel.

IN SVPERIORA EPITAPHIA.

Santonicis dum bella fremunt ciuilia campis,
Et ruit ipsa sua Gallia versa manu,
Beza hæc sacrabam extinctis suspiria amicis,
Eheu quàm multis Beza superstes ego.
Fac, Deus ô, patriæ ipsius ne funera plangam,
Fac potius Bezam patria salua gemat.

THEODORI BEZAE
Epigrammatum liber.

LECTORI.

Sunt qui lectori longo fastidia libro
Longa ferant: fas sit scribere pauca mihi.
Iste tamen poterat, lector, liber, esse libellus:
Pendere sed versus, non numerare decet.

DE GEMINIS SOLIBVS visis Lutetiæ Parisiorum, Anno 1539.

Aspiceres nuper geminos quum Gallia soles,
Mirata es soles Gallia tota duos.
At nunc mirari potius tua commoda disce,
Quæ spondere tibi sidera bina vides.
Sol est Franciscus, sol est quoque Carolus: istos
Nimirum soles astra benigna notant.
Quos si concordes fœdus coniunxerit ictum,
Eclipsis fuerit nulla timenda tibi.

IN QVENDAM ASINO-rum encomiasten.

Dum laudas asinos, toties cur Pontice peccas?
Nempe tibi ignotum Γνῶθι σεαυτόν *erat.*

IOH. TRVCHIO.

Heu vos aduoco, vos malos sophistas,
Fallaces querulósque homunciones:
Qui noctes teritis diésque totos
Quærendo insidias loquutionum.
Vos (inquam) aduoco, vos malos sophistas,
Qui posse hoc fieri simul negatis,
Vt quis victitet in locis duobus.
Tandem vera loqui ô tenebriones
Discite, & fieri videte posse,
Posse quod fieri simul negatis.
Quum sim vnus, tamen in locis duobus
Vitam viuo simul, velútque nostra
In partes geminas secata mens est:
Apud me altera viuit, altera autem
Viuit in Truchio meo. ergo nobis
Palmam ceditis, ô tenebriones?

IN SAPIDVM.

Dum sese egregium Sapidus putat esse poetam,
Desipit, & Sapido nil magis insipidum.

DE THEOCRENI LIBELLO.

Arua Maro laudare docet spatiosa colonos,
Idem parua docet rura colenda Maro.
Qui volet, hîc terram centenis vertat aratris:
Plus iuuat hic paruus, sed bene cultus, ager.

IN EVNDEM.

Nil non egregiè facit Philænus,
Tersus, integer, elegans Philænus.
Testem si petis, en tibi Philæno
Teste hæc omnia perficit Philænus.

AD BIBLIOTHECAM.

Saluete incolumes mei libelli,
Meæ deliciæ, mei lepores.
Salue mi Cicero, Catulle salue,
Salue mi Maro, Plinîumque vterque:
Mi Cato, Columella, Varro, Liui.
Salue mi quoque Plaute: tu Terenti,
Et tu salue Ouidi, Fabi, Properti.

Vos ſaluete etiam diſertiores
Græci, (ponere quos loco priore
Decebat) quibus eſt grauis cothurnus.
Et tu, cui popularis aura nomen
Dedit: tu quoque magne Homere ſalue.
Salue Ariſtoteles, Plato, Timæe:
Et vos, ô reliqui, quibus negatum eſt
Includi numeris Phaleuciorum.
Cuncti denique vos mei libelli
Saluetote, iterúmque tertiúmque,
Atque audite meam precationem:
Hoc ergo precor, ô mei libelli,
Vt ne longa mihi mora illa (ſenis
Nam à vobis procul abfui diebus)
Obſit quominus vndiquaque tali
Sitis in me animo & fauore deinceps,
Quali, dum proficiſcerer, fuiſtis,
Nimirum facilíque candidóque.
Quòd ſi iſtam mihi ſupplicationem
Vos conceſſeritis, mei libelli,
Id vobis quoque pollicebor ipſe,
Non me vnam procul hercle ſeptimanam,
Non diem procul vnicum abfuturum.
Quid diem? immò nec horulam, immò nullum
Punctum temporis vt libet puſillum.

IN L. IVNII COLVMELLAE libros De re ruſtica.

Orphea mirata eſt Rhodope ſua fata canentem,
Si modò Virgilij carmina pondus habent:
Tu verò Iuni, ſylueſtria rura canendo,
Poſt te ipſas vrbes in tua rura trahis.
O ſuperi, quales habuit tunc Roma Quirites,
Quum tam facundum cerneret agricolam!

IN SEXTVM.

Cæcus es, & Bezam reprendis Sexte: quid ergo?
Sanum reprenſor debet habere caput.

IN LVPVM.

Ieiunus mihi ſobrium Platonem
Laudabas, ſophiámque prædicabas:
Mox verò vt tibi cœna ſumpta mecum,
Mutaſti faciem atque opinionem.
Quî factum hoc, Lupe, tam citò vt iuberes
A cœna ſophiam valere? nempe
Cœnatus, Lupe, non eras apud te.

DE HELIONORA, FRANcorum regina.

Nil Helena vidit Phœbus formosius vna,
Te, regina, nihil pulchrius orbis habet.
Vtraque formosa est, sed re tamen altera maior:
Illa serit lites, Helionora fugat.

DE FRANCISCI REGIS & Caroli Cæsaris induciis.

Roma olim cessit soceri generique furori,
Et cecidit gladiis Martia Roma suis:
Quòd si illi placidas iunxissent fœdere dextras,
Robore staret adhuc Martia Roma suo.
Sic fratrum immitis nuper discordia penè
Funditus Europæ verterat imperium:
At quoniam iungunt concordia pectora fratres,
Seruatum Europæ dicitur imperium.

CL. MAROTO.

Tam doctè Venerem diuinus pinxit Apelles,
Illi vt credatur visa fuisse Venus.
At tantam sapiunt Venerem tua scripta Marote,
Vt tibi credatur cognita tota Venus.

XENIVM TRVCHIO & Dampetro.

Synceris mos est nunquam neglectus amicis,
Anni sub primos mittere dona dies.
Nempe quòd, vt veteris renouatur circulus anni,
Fas sit vt antiquus sic renouetur amor.
Ergo quum Bezam Truchius fateatur amicum,
Nec me Dampetrus deneget esse suum:
Non temerè, priscos homines imitatus, vtrique
Parua quidem mitto dona, sed apta tamen.
Ambo estis vates, ambobus carmina dono,
Carmina quæ nostri pignus amoris erunt.
Vos pridem syncerus amor coniunxit in vnum,
Vnum igitur decuit munus habere duos.

IN FORI MANCIPIA.

Quum sit hoc ferè proprium poetis,
Rebus omnibus vt peculiarem
Diuum constituant suúmque numen,
Cur lucrum, forum, & eloquutionem
Vni Mercurio tamen sacrarunt?
Prisci scilicet hoc modo indicarunt,
Futurum vt rabiosa quisquis arma

Tractaret fori, haberet ille curam
Lucri non minus ac loquutionis.

AD MVSAS, IOCVS.

Si rogat Cererémque Liberúmque
Vitæ sollicitus suæ colonus,
Si Mauortis opem petit cruentus
Miles, sollicitus suæ salutis:
Quidni, Calliope, tibi tuísque
Iure sacra feram? quibus placere
Est vnum studium mihi, omnibúsque
Qui vatum è numero volunt haberi?
Vobis ergo ferenda sacra, Musæ.
Sed quæ victima grata? quæ Camœnis
Dicata hostia? parcite ô Camœnæ:
Noua hæc victima, sed tamen suauis
Futura, arbitror, admodúmque grata.
Accede ô tinea illa quæ pusillo
Ventrem corpore tam geris voracem.
Téne Pieridum aggredi ministros?
Téne arrodere tam sacros labores?
Nec factum mihi denega: ecce furti
Tui exempla, tuæ & voracitatis.
Penè tu mihi passerem Catulli,

Penè tu mihi Leſbiam abſtuliſti.
Nunc certè meus ille Martialis
Ima ad viſcera roſus vſque languet,
Et quærit medicum ſuum Tryphonem.
Immò & ipſe Maro, cui pepercit
Olim flamma, tuum tamen terebrum
Nuper, ô fera ter ſceleſta, ſenſit.
Quid dicam innumeros bene eruditos,
Quorum tu monimenta, tu labores
Iſto peſſima ventre deuoraſti?
Prodi, iam tunicam relinque, prodi.
Vah, vt callida ſtringit ipſa ſeſe!
Vt mortem ſimulat! ſceleſta prodi,
Pro tot criminibus datura pœnas.
Age, iſtum iugulo tuo cruenta
Mucronem excipe, & iſtum, & iſtum, & iſtū.
Vide vt palpitet, vt cruore largo
Aras polluerit profana ſacras.
At vos Pierides, bonæq; Muſæ
Nunc gaudete: iacet fera interempta,
Iacet ſacrilega illa, quæ ſolebat
Sacros Pieridum vorare ſeruos.
Hanc vobis tunicam, has dico Camœnæ
Vobis exuuias, vt hinc trophæum

Parnasso in medio locetis, & sit
Hæc inscriptio: De fera interempta
Beza dat spolia hæc opima Musis.

IN PHILAENVM.

Aurelias vocare vespas sueuimus,
Vt dicere olim mos erat nasum Atticum:
At te Philæne, Aurelium vocabimus
Fucum, quòd omnes adeo pungas frigidè,
Aculeum vt interim relinquas nemini.

IN PHILOPATRVM.

Damnabis (fateor) nostros Philopatre libellos,
Et tibi non lectum despicietur opus.
Quid tum si nostros carpas Philopatre libellos?
Debebunt tanto nostra placere magis.

IN EVNDEM.

Siue palatina Philopatrus inambulet aula,
Et fatuo incessu marmor vtrunque terat:
Siue fames illum locupletum quærere mensas,
Et procul è vacua iussit abire domo:
Seu ieiunus eat, seu pleno ventre vacillet,
Seu lateat solus, seu comitatus eat:

Semper habet quiddam turpi quod garriat ore,
Quod meritò poßit carpere, ſemper habet.
Semper hiat, ſemper colloque humeríſque laborat,
Et ſimulat magnum voce manúque ſophos.
Sed quũ te audierint multi bene multa loquentẽ,
Nemo bene audiuit te Philopatre loqui.

DE TRVCHIO ET Lod. Valido.

Vos ego diuini manes appello Platonis,
Integer eſt cuius munere notus Amor.
Dicite, non cúrnam in ſeſe moriantur amantes,
Cúrve anima viuant alter in alterius:
Aut quales meritò nobis dicamus amicos,
Aut ſolidi verum quod ſit amoris opus.
Hæc ego non quæro, nec quæ retuliſſe Platonis
Sobrius ad caſti prandia fertur Amor.
Sit ſatis hæc dixiſſe ſemel: nunc dicite manes,
Quædam animo nondum ſat bene nota meo.
Mens ſimplex atque vna mihi eſt, hanc attamen vnam
Pridem Amor in partes iußit abire duas:
Atque ait, Hanc animam diuiſam trado duobus,
Dimidiam Truchio, dimidiam Valido.

Salua tamen mens est, viuo, scribóque, loquórque:
Et tamen hæc Validi est, & tamen hæc Truchÿ est.
Quódque magis mirum, quum sit diuisa duobus,
Vtrunque integra diligo amóque anima.

IN HVBERTVM.

Norunt Hubertum ganeones prodigi,
In vrbe tota nullus histrio latet,
Nec mœchus vllus, leno, scurráve impudens,
Nec chiromantis vllus, aut cadauerum
Molestus excitator, aut vates malus,
Cui non Hubertus iste sit notus bene.
Sed scire vis, ignotus hic cui sit? sibi.

DE IOANNE SECVNDO, Hagiensi, poëta eximio.

Excelsum seu condit opus, magníque Maronis
Luminibus officere studet:
Siue leues elegos alternáque carmina, raptus
Nasonis impetu, canit:
Siue lyram variis sic aptat cantibus, vt se
Vinctum érubescat Pindarus:
Siue iocos blandósque sales epigrammate miscet,
Clara inuidente Bilbili,

Vnus quattuor hæc sic præstitit ille Secundus,
Secundus vt sit nemini.

IN PHILAENVM.

Erasmus ille quo fatentur plurimi
Nihil fuisse vel futurum doctius:
Tibi Philæne stupidus est & plumbeus:
Et quicquid vspiam ab omnibus fingi potest
Calumniarum, stultè in illum congeris.
Latra Philæne quandiu & quantum voles,
Hunc scire constat plura quàm tu nescias.

GENETHLIACON FRANCISCI, Henrici Galliarum Delphini & illustrissimæ principis Catharinæ Medices filij primogeniti.

Fertur in Alcmenes venturus Iuppiter olim
Brachia, ter noctis continuasse vices.
Nempe quòd in magni diuinos Herculis ortus,
Nox, hyberna licet, non foret vna satis:
Sic, princeps Henrice, tuo quum è semine vellent
Alcidem Gallis gignere fata suum,
Vnius in prolis conceptum currere meßes
Iusserunt magna cum ratione decem.

Scilicet haud aliter prorsus quàm pluribus annis
Formari tantus debuit iste puer.
Et (si fas homini res est aperire futuras,
Nec dici vatum numen inane decet)
Quo deni plures ternis sunt noctibus anni,
Hoc tuus hic infans Hercule maior erit.

GENETHLIACON ISAbellæ, Henrici Galliarum Delphini, & illustrissimæ principis Catharinæ Medices, filiæ.

Ecce, nouos peperit Gallis Catharina triumphos,
Iam prole diues altera.
Natorúmque loco, felicem crescere turbam
Auus nepotum conspicit.
En, vix dum nata, in cunis Isabella videtur
Vagire quiddam regium.
Móxque iocos blandæ tenero cum fratre sororis
Spectabit Henricus pater.
At Gallus primis iam nunc miratur in annis
Suos futuros principes.
Et, quanuis teneræ, magnum iam frõtis honorem
Notásque regias colit:
Donec paulatim, illorum crescentibus annis,

Spe

Spes patriæ adoleſcat ſimul:
Franciſco vt domitos forti, victóſque pudico
Iſabellæ amore blandulæ,
Gallica conſpiciat venerari lilia pronos
Orbis ſuperbos principes.
Illi etenim nullus poterit par viribus eſſe,
Odiſſe nullus hanc volet.

DE FELICI INAVGVRATIONE Henrici II, Francorum regis.

Franciſco poſtquam ſublato, Gallia ſenſit
Cuius lene foret mox ſubitura iugum,
Finÿt, vt potuit, gemitus, animíſque receptis
Iſtæc faſſa fuit commoda damna ſibi.
Ergo age, quamprimùm Hĕrici fac Sequana regis
Ad gelidas Arctos nuntia fama volet:
Hæc Liger Heſperiis, Rheni Moſa dicito ripæ,
Hæc Rhodane ambuſtos perfer ad AEthiopas,
Gallorum Henricum felicia ſceptra tenêre,
Ingentem ingenti de genitore ſatum.
Nec regem eſſe tamen: dubium quia fecerit ipſe,
Rex Gallis dici debeat, ánne pater.

MICH. QVELINO, QVI QVVM esset vxorem ducturus, ægrotare cœpit.

Te, Michael, quodcunq; malũ tam læta parantem
Coniugia, è tristi vix sinit ire thoro,
Seu febris, seu rheuma hoc est, me iudice dignũ est,
Altera quod febris, rheuma quod interimat.
Nam tua vel virtus, vel castæ vota puellæ,
Materies iusti plena fauoris erat.
Perge Queline tamen, nec tam bene cœpta morare:
Finem etiam morbis tempora læta dabunt.
Perge puella simul. nanque ægrotante Quelino
Vix alius toto sanior orbe vir est.

DE VICTORIA GALLORVM parta aduersus Marchionẽ Vasti, Anno 1544.

Francorum victas acies Insubria vidit,
Vidit, sed Franci robore freta ducis.
Nanq; velut quondam Romã oppressêre Quirites,
Sic est penè sua Francia versa manu.
At nunc euersas aquilas Insubria cernit,
Et colubris rursus lilia iuncta suis.
Ergo seu vincat, seu cedat Francus, vtrinque
Virtutis laudem quo mereatur, habet.

DE PACE INTER FRANciscum I. Galliarum regem, & Carolum V. Cæsarem, inita.

Vidimus (heu) fratres in mutua bella paratos,
Vidimus accensas Martis vbique faces.
Nunc tamen, ô superi, placidis allabitur alis
Aurea perpetuos pax habitura dies.
Quis porro tanti tibi Gallia muneris autor?
Gallia quo tandem vindice facta tua es?
Scilicet hic superûm fauor est, hæc munera cæli.
Non sunt hæc cæli munera tota tamen:
Quippe etiam partem doni sibi vendicat huius
Et rex, & regis natus vterque tui.
Roma igitur patriæ patres numerauerit olim,
Nos patriæ patres & numeremus auum.

IN CAECILIVM.

Quandocunque sibi parare amicos
Optat Cæcilius fideliores,
Hos solo probat æstimátque censu:
Nec quenquam colit vt suum libenter,
Virtus vnica quem facit beatum:
Sed cuius titulos superbiores

Triplex linea vix notare posſit,
Hunc ſuum vocat, hunc colit libenter.
Sic ſeruitur, auare, non amatur.

IN M. SCAEVOLAM.

Audes (ô facinus!) cenſoris ſumere normam,
Et ſemper mœſti verba ſonare ſenis.
Audes, O mores, ô tempora, dicere, quum ſis
Socraticos inter gloria prima canes.
Tale tamen, demẽs, tale (inquam) Scæuola ploras,
Sileni vector qualia nempe rudit:
Quale gemunt calami craſſo tractante bubulco,
Quale gemit viridi fulta quadriga rotâ.
Denique ſic ploras, vt qui tua carmina ridens
Non legat, inuentus ſit (puto) nullus adhuc.

DE FRANCISCO VALESIO Galliarum rege, è Picardia, ſoluta Landriſij obſidione, reuerſo.

Quod Franciſce tibi iamdudũ ſpondet Olympus,
Id ſors obtulerat nuper amica tibi:
Scilicet vt poſſet victorem agnoſcere Francum
Excuſſo hoſtili Gallia tuta iugo.
Tu tamẽ hæc, (quanuis & magna & certa) tuorũ

Non es dilecto sanguine passus emi.
Illæsos igitur quòd tu seruaueris hostes,
Nemo metum credat, sed pietatis opus.
Pugnabas etenim, nolens pugnare, tuíque
Tunc, quum hostem nolles vincere, victor eras.

IN ZOILVM.

Breuem Zoile dicis hunc libellum:
O si possit idem omnibus videri.

AD AMICOS.

Hunc, quanquam illepidum & malum libellum,
Vos ô perlepidi mei sodales
Quæso sumite blandiore vultu,
Deinde perlegite vsque ad vmbilicum.
Nam vos id rogat ille Beza vester,
Cuius vos animámque corculúmque,
Idq; mehercule iure, possidetis.
Sed sic perlegite ô boni sodales,
Vt nec falsa aliqua eruditionis
Nostræ opinio, nec mei tuendi
Cura nominis vlla vos moretur.
Figatis potius vel hinc vel illinc,
Stellulísque, obelísque, virgulísque:

Cultu splendidus vt decentiore,
Testetur titulo tenus parentem.
Id verò malaturba Zoilorum
Damnabit (fateor) nihilque dicet
Hîc, præter titulum, meum videri:
Sed clamet licet vsque & vsque & vsque,
Sit totus volo vester hic libellus,
Quum vester quoque sit poeta totus.

IN LIGVRINVM.

AEdilis ille, Ligurine, qui tua
Repertus à te nudus est cum coniuge,
Nil hercle fecit præter officium suum,
Qui euincere à te rem voluerit publicam.

AD ANDREAM TIRAQVELlum, Senatorem Parisium, alterum nostri seculi Varronem.

Est tibi natorum quæ computat agmina coniux,
Est tibi quæ natos bibliotheca parit.
Fortunate senex, te nulla obliuia mortis,
Te nunquam totum tollet auara dies.
Nanque alia ex illis mox est ventura propago,
Ex his est pridem gloria nata tibi.

Vt verò pereant illi, illorúmque nepotes,
Hæc tamen incolumis cum patre neptis erit.

IN SPVRINNAM.

Tollendæ cupidus Spurinna prolis,
Altæ dum superat iugum Pyrenes,
Diuo porrigat vt preces Iacobo:
Inde Alpes quoque præterit niuosas,
Petri vt limina visat atque Pauli:
Et mox Adriacum in sinum reflexus,
Laureti attonitus deam precatur:
Inde per medij maris pericla
Sacram perueniens aduſque Idumen,
Sacratum Domini petit sepulchrum:
Nec contentus adhuc, latrocinantum
Arenas Arabum siticulosas
Gibbo permeat insidens cameli,
Sublimem properans aduſque Sinam,
Et diuæ iuga sacra Catharinæ:
Quid profecerit hoc labore, quæris?
Tres natos reperit domum reuersus.

CALLARTIO IVRISCONS.

En senos tibi mitto pippiones,

Ruris munera rusticana nostri:
Nostri non penitus tamen, sed olim
Futuri, nisi fortè me fefellit
Patronus mea iura qui tuetur,
Iura tanta quidem vt nec his ferendis
Terga sufficiant onusta muli.
Hos ergo tibi mitto pippiones,
Obtestórque simul deos deásque,
Vt senis tibi messibus peractis
Fas sit ex lepida tua puella
Tot natos numerare vagientes
Quot fœtus tibi mitto pippientes.

IN QVENDAM, AD Posthumum.

Cincinnatulus ille, cui vndulati
Perplexíque humeros grauant capilli,
Qui tersa cute, blæsuláque voce,
Qui pœtis oculis, gradúque molli,
Et pictis simulat labris puellam,
Heri, Posthume, nuptias parabat:
Quum nequissimus omnium sacerdos,
Vrbanus tamen & facetus hercle,
Vtra sponsa foret rogare cœpit.

DE IO. DAMPETRI VERSIbus, quibus Eraſmum mortuũ celebrauit.

Mercurius nuper defuncto legit Eraſmo
Carmen quo tu illum Dampetre docte canis:
Et vix deſierat, quum ſic exclamat Eraſmus,
O ſi fata darent ſic mihi ſæpe mori.

CARINO, ADMODVM NASVTO.

Quòd quacunque venis, fuga eſt, Carine,
Ceditúrque tibi velut tribuno,
Tandem deſine (quæſo) gloriari:
Naſo, non tibi, ceditur Carine.

IAC. IOBERTO, AMICO integerrimo.

Non ſum Beza, nec es Iobertus: immò
Sic noſtros animos amor reuinxit,
Iunxítque, implicuítque, miſcuítque,
Vt ſit vna mage vnitas nec ipſa.
Quorſum, dic igitur, Ioberte, quorſum
Beza ſic properas procul relicto?
Res (inquis) me aliò vocant, & ingens
Moles illa premens negotiorum.

O duram nimium neceſsitatem!
Verùm fallor ego, vel ad Laponas
Vſque, ſi libet, vltimos profectus
Bezam abſens quoque diliget Iobertus,
Beza abſens quoque diliget Iobertum.
Ergo ſors mala non mihi Iobertum,
Non (inquam) mihi amiculum abſtuliſti,
Sed memet, fateor, mihi abſtuliſti.

IN POSTHVMVM.

Quantumuis Libitina frequẽs ſpectetur in vrbe,
Et proprios vitent fœmina vírque lares:
Solus in vrbe manes: atque id, mi Poſthume, iure:
Nam quocunque venis, quid, niſi peſtis, adeſt?
Quid ſi corripiat te peſtis in vrbe morantem?
Nempe etiam peſti Poſthume peſtis eris.

IN PVRPVRATOS Cardinales.

Semiuiros quicunque patres radiante galero
Conſpicis, & rubræ ſyrmata longa togæ:
Crede mihi, nullo ſaturatas murice veſtes,
Diuite nec cocco pilea tincta vides.
Sed quæ rubra vides, ſanctorum cæde virorum,

Et merſa inſonti tota cruore madent.
Aut memor iſtorum quæ celet crimina veſtis,
Pro dominis iuſto tacta pudore rubet.

IN PSEVDEPISCOPOS Papiſticos.

Mitrati quocunque ferant veſtigia patres,
Prælatæ apparent aurea ſigna crucis.
Siue adſtant aris, ſtulto mirante popello,
Vna illis cura eſt ingeminare cruces.
Siue domo egreſſi priuata negotia curant,
Mille manu ſignant verſicolore cruces.
Ludere ſæpe etiam, & ſcortari, & ſtertere ſæpe,
Et medias inter credo cacare cruces.
Si cauſam rogites, id non facit vlla tuendi
Cura gregis, Chriſti cura nec vlla crucis: (eſt
Verùm homines natos cruciãdis omnibus, æquum
In manibus promptas ſemper habere cruces.

IN POMPILIVM.

Errat Pompilium quiſquis negat eſſe poetam,
Et omnium quidem optimum:
Pompilium gibbo duplici, nugíſque canoris
Notum ἀμφίκυρτον omnibus.

Nam reliquis satis est, Parnassi in limine Musas
Si vel salutent eminus:
Atqui Pompilius Parnassum hinc inde bicornem
Totum ferens obambulat.

IN PONTIFICES Papisticos.

Nil mirum est statuas vos commendare libenter,
Ipsi quum sitis, Pontifices, statuæ.

IN TRANSSVBTANTIA-tionem Romanæ ecclesiæ.

Aras atque focos vt defendère Quirites,
Summa quibus pietas ara focúsque fuit:
Sic horum soboles pro carne & sanguine certat.
Quorsum aras etenim vel sine carne focos?

LVDICRA ΘεολογΩν POETA-rum & monachorum.

Accipe Francisco cur componamus Homerum,
Et monachos credam vatibus esse pares.
Cæcus erat quondam Franciscus, cæcus Homerus:
Ille animi captus, corporis hic oculis.
Mendicus Franciscus erat, mendicus Homerus,
Et cecinit cantus pauper vterque suos.

Rhapsodis orbem miserum compleuit vterque,
Fratribus ille suis, vatibus iste suis.
Captabant primi nemorum secreta poetæ,
Antra olim monachis prima fuêre domus.
Implerunt monachi desertis oppida syluis,
Quid magis est tota vatibus vrbe frequens?
Nocte diéque rudit monachus, cantátque poeta:
Et placet immodicè stultus vterque sibi.
Cuique sua est vati lasciuo Cynthia: frater
Sæpe pius dominas quattuor vnus habet.
Friget aquæ carmen potori insuaue poetæ,
Triste canit pota frater anhelus aqua.
Accinctus cithara resonat sua carmina vates,
Sic monachi cingit plena lagena latus.
Hunc ἄνθεος furor exagitat, furor ἔνθεος illum,
Iste gerit thyrsos, & gerit ille cruces.
Victores ornat laurus myrtúsve poetas,
Sunt monachis tonsæ sacra corona comæ.
Denique des monacho Musas, vatíque cucullum,
Vates & monachus fiet vterque tibi.

IN ZOILVM.

Zoile, non cessas nostrum damnare libellum,
Errores solitus connumerare meos.

Vt mala sint, at nõ sunt peßima carmina, quorum Zoilus errores enumerare potest.

ΕΙΣ ΕΡΜΗΝ ΙΑΤΡΟΜΟΝΑΧΟΝ.

Παμμιάρων ζήσας μοναχῶν μιαρώτατος Ἑρμῆς,
Εἰς ἰατρῶν παῖδας αὐτομολῶν ἀπίβης.
Εὖγ' Ἑρμᾶ γενναῖε, μίαν μοναχός τ' ἰατρός τε
Ἀσκήσας τέχνην, δὶς νεκροπομπὸς ἐών.

IN EVNDEM.

Vixisti monachus monachorum dedecus Hermes,
Nunc medicorum idem dedecus es medicus.
Fallor? an vt fueras monachus ψυχέμπορος olim,
Idem Hermes medicus nunc ψυχαγωγὸς eris?

IN P. BEMBI HISTORIAM Venetam.

Claræ vrbi Venetũm debes natalia Bembe,
Vrbs eadem clara est munere, Bembe, tuo.
Tu patria felix, felix te patria ciue,
Bembe: tamen debet patria plura tibi.
Nam mortale fuit patriæ quod munus habebas,
At, quam das patriæ, vita perennis erit.

AD LOVANIVM.

En tibi, Louani, quæ debeo, carmina mitto,
Pignora nempe animi qualiacunque mei.
Vt, si te nostra, nostra (heu) procul vrbe profectũ,
Vlla potest Bezæ tangere cura tui,
Bezam vtcunque tuum videas, qui quæ dare sola
Munera nunc potuit, munera sola dedit.
Munera parua quidem, sed non vulgaria. nanque
Carmina nemo dedit tam mala, nemo dabit.

MELIORI VOLMARO præceptori.

Ergo placet nostros iterum vulgare furores?
Ergo semel non est desipuisse satis?
Sic Volmare iubes: & ego tibi (quæso) iubenti,
Quid tandem iusta cum ratione negem?
Quid facerem? quæ nos tibi consecrauimus olim,
Eripere hæc eadem quo tibi iure queam?
Adde quòd, ipse tuus quum sit quoque muneris autor,
Hæc quum dona petis, tu tua dona petis.
Fama igitur valeat, nos iam nil fama moratur:
Fas, tibi quò placeam, displicuisse mihi.

IOACH. CAMERARIO, Viro longè eruditissimo.

Ergo meos etiam laudas Ioachime libellos,
Et mea, quæ recites, carmina digna putas?
O nimium natos felici sidere versus,
Quîs tam facundo contigit ore cani!
I nunc, Mome, crepa: nam quis nisi pessimus, illâ
Nunc odisse velit, quæ Ioachimus amet?

PISTORIS ET PICTORIS CERtamen, ad Buchanani imitationem.

Iudice sacrifico pictor pistórque feruntur
Artis certamen constituisse suæ.
Tum pictor, Quicquid vastus complectitur orbis,
AEmula naturæ pinxerit ista manus.
At mihi (pistor ait) Christum qui condidit orbem,
Natura potior finxerit ista manus.
Christum (inquit pictor) paucas tu cõdis in horas,
Quum nostrum longo tempore perstet opus.
At tu (inquit pistor) pictura ludis inani,
Quum nostrum verè corpora pascat opus.
Ergo (pictor ait) tu ventri numina pinsis?
Vermibus, at pistor, numina pingis? ait.
Tum iudex, Satis ô, satis ô certastis amici,

Quan

Quandoquidẽ hæc multis pãdere ſacra nefas.
Ite domum potiùs, concordi & pectore Chriſtos
Iſte mihi pingat, pinſat & iſte mihi.

IN ROM. PONTIFICVM carnificinam.

Et flammis & aquis cruſtacea numina ſæuus
Romæ tuetur pontifex.
Nec mirum: hæc etenim cruſtacea numina certè
Formant aquæ, flammæ coquunt.

IN GEORGIVM BVchananum Scotum.

Audieram Gottos, & quos Septentrio quondam
Barbarus immanes vltricem in numinis iram
Effudit populos, ſceleratæ mœnia Romæ,
Et quæcunque priùs ſpoliato ex orbe ſacrarant
Imperij faſtúſque ſui monimenta Quirites,
Partim æquaſſe ſolo, partim iniecisse voracẽ
Conſumenda rogo: vt quæ olim faſtigia cælis
Intulerat, ſeptem attollens in nubila montes,
Nunc proſtrata ſuis celebretur Roma ruinis.
At nõ ingenium ſolers, linguámque diſertam,
Æternis quibus illa opibus tot ſecula felix

Roma olim cunctas inter caput extulit vrbes,
Hæc inquam reliquis longè anteferenda trophæis,
Non equidem audieram Gottósve aliásve feroces
Quas procul Oceanus gentes glacialis inundat,
Noscere, mirari nedum potuisse: rapaces
Barbarus vt prædæ istius dulcedine captus
Iniiceret Musis vngues, quas deinde rigenti
Captiuas sic diligeret colerétque sub Arcto,
Vt medias inter glacies Boreæq; sonori
Pectora nata gelu, Musarum ardore calerent.
Attamen hoc factum siquis dubitauerit, idem
Vel medio lucêre die Titana negarit,
Vel te virtutésque tuas ignorat ineptus,
Aonidum immortale decus, Buchanane, sororum.
Nanq; tibi extremæ propè nato ad littora Thules,
Os tenerum Aonides sic formauere puellæ,
Sic Graio pariter melle illeuêre labella,
Pectora Romano sic impleuere sonore,
Vt te Roma, licet Scottorum ad littora natum,
AEquoreas inter cautes atque horrida cete,
Tanquã vrbe in media ciuem sibi vindicet ortũ:
Inde autem magni te Mantua clara Maronis
Iuret stirpe satum, at contrà Verona, Catulli:
Asserat hinc Venusinus, & hinc Pelignus: & inde

Corduba te repetat, repetat quoque Bilbilis inde.
At vatem interea Buchananum Scottia iactes
Vna tuum, felix tantis natalibus vna.
Macte quoque ingenij tanta virtute Georgi,
AEternùm, & Latij ſpoliis ornatus opimis,
Inuidiáque omni maior Buchanane triumpha.

IN SACRIFICOS.

Quum ſint ſacrifici meræ tenebræ,
Noctis noctua nec tam amet tenebras,
Quàm lucem hi fugiunt tenebriones:
Cur, ſeu luce rudunt nefanda ſacra,
Seu noctis tacitas boant per vmbras,
Agunt omnia teſtibus lucernis?
Nempe vt, quos ſtolidæ ſubinde turbæ
Poſſint vendere callidi, perennes
Ipſis ſufficiat lucerna fumos.

EX GRAECO.

Pinxiſti pulchra nuper Phaethonta tabella,
Altera Deucalion picta tabella tua eſt.
Et pretio rogitas quónam ſit dignus vterque?
Ille quidem flammis, hic quoque dignus aquis.

SIMONI SIMONIO, DOctiſſimo peripatetico.

Sydereos inter qualis ſol aureus ignes,
Tale ſophos inter ſplendet Ariſtoteles.
Seu tamen iſtius, ſeu noſtra hæc culpa putanda eſt,
Exiguus tanti muneris vſus erat:
Prodires donec veluti lux altera lucis,
Lampadis & lampas altera, mire Simon.
Mire equidem, per quem radiet ſol puriùs ipſe,
Et cæci incipiant cernere poſſe diem.

ILLVSTRISS. PRINCIPI, Chriſtophoro, Comiti Palatino, Bauariæ duci, &c. ξένιον.

Ecce tibi quale argentum Burgundia gignit,
Quæq; etiam ſalſæ munera fundit aquæ.
Dulcis opum guſtus, ſale nil contrà acrius vno,
Integra ſic hominum ſymbola ſortis habes.
Faxit at ille tuæ Dominus qui pocula vitæ
Temperat, ô magni magna propago patris,
Te neque dulcedo fallat, neque vexet amaror,
Quin potius currat ſors moderata tibi.

IN NOVERCAS, E GRAECO.

Stantem nouercæ verberans imaginem,
Cecidi cadente, iacente nunc iaceo miſer.
Priuigne, timeas quoque nouercam mortuam.

AD PRISCVM, IN AVLICOS.

AEolus AEolia quiſnam dicatur in aula
Claudere nunc ventis nunc reſerare fores,
Dicere, Priſce, iuuat. dicentem ſedulus audi,
Hoc quoque ne pereas naufragus ipſe mari.
AEolus hic vera eſt regum procerúmque figura,
Eſt quibus in toto vanius orbe nihil.
AEolia aula quid eſt, niſi quas nos cernim⁹ aulas?
Nempe aliud rediens rurſus in orbe chaos.
Hinc Euri Coríque ruunt, hinc nubilus Auſter,
Hinc Aquilo rigido iuſſus ab axe volat.
Hinc mũdi pelagus vertúntque ruúntq; procellæ,
Rarus vt his currat nauita tutus aquis.
Hæ ſunt AEolides, loca fœta furentibus Auſtris.
Aſpice diſruptas vndique, Priſce, rates:
Et, ſi fortè ſapis, curſum in contraria flecte.
Stultus, ab hac vitam qui ſibi morte petit.

IN CARDINALEM Turnonum.

Indoctus doctos pascis, Turnone: beatus,
Si tam animo saperes, quàm tibi mensa sapit.
Euge tamen, Musæ, vestras alere improbus artes
Quum detrectet honos, si modò pascat ὄνος.

ΕΙΣ ΤΟΝ ΧΡΙΣΤΟΝ ΠΑΣΑΣ ΤΑΣ ἐναντίας ἀρχὰς καὶ ἐξουσίας ἐν τῷ σταυρῷ θριαμβεύσαντος· ὡς ἐν διαλογῷ, τοῦ μὲν παροδίτου ἐπερωτῶντος, αὐτοῦ δὲ τοῦ Χριστοῦ ἀποκρινομένου.

α Αἰ, αἰ· τίς σε, φερέσβιε, δύσμορος ἔκτανεν, αἰ, αἰ·
Σωσίβροτόν σε μανεὶς τίς θανάτωσε βροτῶν;
β Οὐ Καϊφας πόσον, οὐ δολερὸν φεύδεσθαι φίλαμα,
Οὐδ' ἄδικοι μαρτοῦ τῶ Πιλάτοιο χέρες·
Μήδια πάσχω ὅσον, θυμόν τε δι' ἤπιον ἦθος,
Ἀμπλακίας ἐλέῳ τὰς σὺ ἀμαυσάμενον.
α Πῶς δὲ κριτὴς ἐκρίθης; πῶς παντοδαμάτωρ ἐδαμάσθης;
Πῶς ἀπαθὴς ἔπαθες; πῶς θάνες ἀθάνατος;
β Καὶ κτίσις καὶ κτίσος ἐών, ἀπαθής τε παθητός,
Καὶ θεὸς ὢν θνητός, καὶ βροτὸς ἀθάνατος.
Οὕτως δὴ θάνατον θανάτῳ θανάτωσα, θέαμα
Τερπνὸν ἐπουρανίοις, τερπνὸν ὀπιχθονίοις.

α Φεῦ σοφίης βάθος· ὦ θείας μέγα θαῦμα φρενοίας,
Φείκτὸν ἐπουρανίοις, φείκτὸν ὑποχθονίοις.
Ἔρρ' ἀίδου κνέφας, ἔρρε σαταῖ ὀλεσίμβροτε. αὐτὸς,
Αὐτὸς (ἰοὺ) ζωῆς φεύξεις εἰ θάνατος.

IN PSEVDOCLERVM Romanum.

Romana in primis abigat quum curia quotquot
Legitimi iurant fœdera ſancta thori,
Cur, age, cur patres cupiunt fratréſque vocari,
Quotquot alit ſummi curia Pontificis?
Scilicet hiſce Deus pater eſt, Eccleſia mater,
Vna quibus patrem turba cinæda parit.
Immò quis patribus plenas & fratribus iſtis,
Crediderit vacuas matribus eſſe domos?

IN EBRIOSOS.

Quæris quis ſit homo ebrioſus: atqui
Nullus eſt homo, Næuole, ebrioſus.

IN GALLICAM anarchiam.

Poſtibus affixas leges, edictáque paſſim
Grandibus eſt (fateor) cernere ſculpta notis.

Sed quorsum affixæ nobis sculptæq́, tabellæ,
Ipso si iudex poste loquente tacet?
Vín' (ô rex) igitur regni succurrere rebus?
Ne leges, verùm figere disce reos.

IN TRES EXIMIOS ætatis nostræ ecclesiastas.

Gallica mirata est Caluinum Ecclesia nuper,
Quo nemo docuit doctius.
Est quoque te nuper mirata, Farelle, tonantem,
Quo nemo tonuit fortius.
Et miratur adhuc fundentem mella Viretum,
Quo nemo fatur dulcius.
Scilicet aut tribus his seruabere testibus olim,
Aut interibis Gallia.

IN LVDOVICI MASVRII carmen De Babylonis ruina.

Dum, Masuri, grandi ore tonas Babylona ruentẽ,
Cantata est quanta Troia nec ipsa tuba:
Est quod Mæonides, est quod tibi maior & ipso
Mæonida inuideat forsitan ipse Maro.
Error in hoc tamen est, Masuri, quòd carmine tãto
Mansuram æternùm quam ruis ædificas.

P. MELISSO SCHEDIO.

Mellitiſsime, quæſo, mi Meliſſe,
Quo mellita magis nec ipſa mella,
Nec ipſi lepidi magis lepores,
Nec eſt ipſa Venus magis venuſta,
Quiſnam hoc nomine te beauit augur?
Fallor, an tibi vel nouem Camœnæ,
Vel ipſæ Charites tibi hoc, Meliſſe,
Præſagæ puero dedere nomen?
Sed ô parcite vos mihi, Camœnæ,
Et vos ô Charites. Meliſſus iſte
Quorſum? nam potius vel eſt mel ipſum,
Vel eſt ipſa opifex μέλισσα mellis,
Vel certè ipſius officina mellis.

EIVSDEM THEOdori Bezæ alia Epigrammata, quæ peculiari nomine ICONAS inscripsit.

DIDO.

Funere Didonis sapientes este puellæ.
Sunt nulla hospitij pondera, nulla thori.

LVCRETIA, αὐτόχειρ.

Pollutum est corpus, mansit mens integra nobis:
Et non ex isto corpore casta fugis?

IN EANDEM.

Si fuit ille tibi Lucretia gratus adulter,
Immeritò ex merita præmia morte petis.
Sin potius casto vis est allata pudori,
Quis furor est, hostis crimine velle mori?
Frustra igitur laudem captas, Lucretia: nanque
Vel furiosa ruis, vel scelerata cadis.

ALEXANDER MAGNVS, hausto veneno moribundus.

Post Persas fusos, quæsitásque orbis habenas,
Armis non potui cedere, cedo dolis.

M. BRVTVS, αὐτόχερ.

Diuitiùs vti licuit cum Cæsare partis.
Ferre necem possum, non potui dominum.

ARISTOTELES, MICHAELIS Xenij Galliarum Cancellarij vultum penitus referens.

Talis Aristoteles oculos atque ora ferebas,
Sculptoris docta nunc rediuiue manu.
Pars autem illa tui melior, melioribus olim
Expressa in tabulis, nec peritura, manet.
Sed quid opus sculptísve fuit scriptísve tabellis?
En viuo in Xenio viuis Aristoteles.

CARDINALIS PVRPVRATVS.

Semiuiros quicunque patres radiante galero
Conspicis, & rubræ syrmata longa togæ:
Crede mihi, nullo saturatas murice vestes,

Diuite nec cocco pallia tincta vides.
Sed quæ rubra vides, sanctorum cæde virorum,
Et mersa insonti tota cruore madent.
Aut, memor istorum quæ celet crimina vestis,
Pro dominis iusto tacta pudore rubet.

IVLIVS TERTIVS PAPA, AD mensam simul vomens, meiens, & cacans.

Ebrius ad mensam quum Iulius ille sederet,
Impia quem potuit Roma nec ipsa pati,
Tres pariter fertur pelues habuisse paratas,
Vt triplici triplex vase leuaret onus.
Vna alui pondus, vomitum altera peluis habebat,
Tertia vesicæ concipiebat onus.
I nunc, pontifices Germania dira negato,
Omnia clausa suo iura tenere sinu.

PYTHAGORAS.

Laudent vitam alij suam loquendo,
Virtutem ipse meam probo tacendo.

XENOPHON, LAEVA CA-lamum, dextra gladium gestans.

Quid Marti & Musis Xenophō? Sic vicimus olim

Barbariem gladio, barbariem calamo.

RELIGIO.

Quænam age tam lacero vestita incedis amictu?
Relligio, summi vera patris soboles.
Cur vestis tam vilis? opes contemno caducas.
Quis liber hic? patris lex veneranda mei.
Cur nudum pectus? decet hoc candoris amicam.
Cur innixa cruci? crux mihi grata quies.
Cur alata? homines doceo super astra volare.
Cur radians? mentis discutio tenebras.
Quid docet hoc frænum? mentis cohibere furores.
Cur tibi mors premitur? mors quia mortis ego.

DE ERASMO, CINGVLO tenus depicto.

Ἥμισυ τῦ παντὸς πλέον εἶν' Ἀσκραῖος ἔειπεν,
Ἥμισυ δ', ὡς οἶμαι, τῦδ' ὁλοσαὰ ὦμος.

DE EODEM.

Ingens ingentem quem personat orbis Erasmum,
Hæc tibi dimidium picta tabella refert.
At cur non totum? mirari desine lector:
Integra nam totum terra nec ipsa capit.

DILVVIVM.


Quas hominum intulerant terris contagia ſordes,
Vltrices olim vos abluiſtis aquæ.
At quum nunc terras, quũ totius æquoris vndas
Polluerit maius quàm fuit ante ſcelus,
Quid ſupereſt, cælo niſi miſſus vt ignis ab alto,
Ipſas cum terris deuoret vltor aquas?

LOCI ALIQVOT EMENDANDI.

In epiſtola, pag. 6. v. 7, lege, vt filium. P. 10 v. antepen. *iſtos bonos viros. Quendam autem verſum Henr. Steph. p. 27, ita lege, Tanto pectora gaudio triumphant.*

In ipſis Bezæ verſibus.

P. 3. v. 17, lege *Hæc vero.* P. 4. v. *vltimo, caterua.* P. 5. v. 11, *refeſſis.* P. 18. v. 10 *ſæuitiæ liquere? v. vlt. præfari.* P. 19. v. 6. *at potius.* P. 26. v. 12, *Fruiturus æui. v. penult. Potente ſic probitas Dei victa.* P. 28. v. 4, *pura ſceleris penuria.* P. 29. v. 7, *Queritante.* P. 30. v. 1, *Quos, ſiue quiſquam callidus dolos ſtruat.* v. 2, *iudicum.* v. 3. *pæret, Deus nec deſerit.* v. 4, *iudicũ.* v. pen. *Sitáſque in illo quotquot vno ſpes habent.* P. 33. v. penult. *Acuis dolos in omnes.* P. 40. v. 3, *priusſepultas.* v. 10, *iras.* P. 43. v. 15, *Aronis.* P. 44. v. 4. *perennis ipſius benignitas.* P. 55. v. 3, *At, licet.* v. 20, *libera quendam Roma illũ.* P. 63. v. 3, *aſſectãs.* P. 68. v. 2. *aſſueto.* P. 80. v. 5, *Sic cæli pateant limina.* P. 83. v. 19, CAVSIDICO CVIDAM. P. 88. v. 17, *Stygia (credo)* P. 92. v. 19, *Nymphas Ianus enim (vates quia, &c.* P. 93. v. 13, *Ergo etiam.* P. 95. v. 3, *Andeloti.* P. 98. v. 7, ὥστ' ἀμφάντον. P. 99. v. 14, *relinquam, &c.* P. 137. v. 16, *Quum ſit hoc propriũ ferè, &c.* P. 140. v. 9, *vt aculeum int.*



GEORGII BVCHANANI SCOTI POEMATA.

GEORGII BVCHANANI, SCOTI, FRANciscanus & Fratres.

VNDE nouus rigor in vultu? triſtiſq; ſeueris
Frons caperata minis, tardíque modeſtia greſſus?
Illáque frænatæ conſtans cuſtodia linguæ?
Quò lepor & riſus abiêre, ſaléſque venuſti?
Nec pila delectat, nec rauci in puluere circi
Flectere cornipedem, volucrem nec ducere viſco,
Nec leporem canibus, nec certo comminus ictu
Figere ramoſi viuacia pectora cerui?
Sæpe mihi humanæ meditanti incõmoda vitæ,
Spéſque leues, trepidóſque metus, vanóſq; labores,
Gaudiáque inſtabili ſemper fucata ſereno,
Non ſecus ac nauis lato iactata profundo,
Quam venti violénſq; æſtus, canúſque magiſter
In diuerſa trahunt, tuto ſubducere portu
Decreui quodcunque mihi ſupereſſe fugacis
Fata ſinent æui, ſanctíſque impendere curis
Finem animæ, & ſtolidæ lacrymis cõmiſſa iuuẽtæ
Abluere, inſani citra commercia mundi.

O ſanctum feſtúmq́ diem, quum cãnabe cinctus,
Obraſúmque caput duro velante cucullo,
Auſpicijs Franciſce tuis, animo inſitus aſtris
Præcipiam ætheream terreno in corpore vitam.
Hic ſcopus, hæc meta eſt, plenis huc tendere velis
Mens auet, vt ſtabili tandem ſtatione potita,
Irrita fallacis fugiat ludibria mundi.
Si tibi propoſitum eſt ſanctæ compendia vitæ
Carpere per virtutis iter, nucibúſque relictis
Exerere immerſam cæca caligine mentem, &
Ad fontes penetrare boni, tenebríſque remotis
Tollere perſpicuos animi ad cæleſtia vĩſus:
Vota quidem laudo, & magnis congratulor auſis.
Sed ſi degeneris recti ſeduceris vmbra,
Et ſequeris vanum tranſuerſo tramite faſtum,
Dum tempus te réſque ſinit, ceciniſſe receptum
Ne pigeat, temere inceptos nec flectere curſus:
Neu tu ſinceri rectéque monentis amici
Deſpice conſilium: nec te plus obſitus annis
Error, & inſani moueant deliria vulgi,
Quàm ratio ſimplex & nullis oblita fucis,
Et veri inuentrix. ſed nec me oppedere cælo
Crede, nec in diuos rediuiuam attollere Phlegram.
Nanque ego ſum teneris ſemper veneratus ab ãnis

Pontifices, ſanctósq; patres, quos candida virtus
Reddidit æterna dignos in ſecula fama.
Attamen haud quoties longo ſub ſyrmate raſum
Cerno caput, tortuq; funem, latúmque galerum,
Atque feneſtratum ſoles captare cothurnum,
Cernere me Paulũ credo. nam veſte ſub illa
Sæpe latent ſæui truculenta mente tyranni,
Sæpe latro, lurcóque vorax, & fœdus adulter,
Et ſimulatus amor, falláxq; modeſtia vultus,
Quæ tegit innumeras ſub ouillo vellere fraudes.
Ergo caue ne te falſo ſub nomine mendax
Simplicitas fòrs tranſuerſum ſeducat, & illuc,
Vnde referre pedẽ nequeas, trahat. & puerũ olim
Me quoque penè ſuis gens hæc in retia mendax
Traxerat illecebris, niſi opem mihi fortè tuliſſet
Cælitus oblata Eubuli ſapientia cani.
Et quoniam (vt video) morbo cruciaris eodem,
Siue nocens gramen, magicíve potentia cantus,
Seu genij fraus fortè mali tibi ſuſtulit omne
Iudicium, ſæuo mentem excantante veneno:
Experiar furias purgamine mentis eodem
Expugnare tibi, quo me ſine fine furentem,
Gaudentẽque malis, indulgentémque furori,
Eubuli eripuit diuina ſcientia docti.

Tu modò ne dubita, monitis nec certius istis
Esse puta insanæ quod ructauêre Sibyllæ.
Ergo vbi lustrali nouies te asperseris vnda,
Signarísque nouem crucibus, totiésque meracum
Hauseris helleborum, niueo cum flore reuulsum
Moly tenens, memori quæ dicam mente reconde.
Hæclicet à sanctis olim gens patribus orta,
Clara quidem niueo morum candore refulsit,
Impleuítque sua venientia secula fama:
At nunc posteritas vera pietate relicta,
Degenerem quæstum, sordésque sequuta, caducas
Cogit opes, ficta & sub relligione pudendos
Occultat mores, & famæ innixa parentum,
Seducit stolidum pietatis imagine vulgus.
Et ne fortè tibi præstringat lumina vanus
Splendor, & attonito velut ad spectacula vultu,
Suspicias sanctæ simulachra euanida vitæ,
Eia age spectemus quid sit quod vulgus, & ipsi
Pontifices, rerum domini, summíque monarchæ
Tantum admirentur: quid raso vertice caluum
Conferat esse caput, quid longo syrmate talos
Vsque tegi, soleásque æstiuum admittere solem,
Et quæ prætextu latitent portenta sub illo,
Quæ monstra abscondat vestis sinuosa: quid artis

Vana superstitio, mentes vt fascinet æquas,
Est commenta, suas quàm vendat callida nugas.
Principio huc omnes, tanquã ad viuaria, currũt,
Queis res nulla domi est, quibus est irata nouerca,
Quos durus pater, aut plagosi dextra magistri
Territat, aut legum timor, aut quos dedita somno
Exercet nullis Lethæa ignauia curis:
Deinde quibus gelidus circum præcordia sanguis
Obstitit ingenio, quos sacro à fonte Camœnæ,
Quos Pallas Phœbúsque fugat, queis sidere toruo
Aspicit infaustos volucer Tegeaticus ortus.
Hi quum infrugiferæ spatiũ triuêre iuuentæ
Musarum in studijs frustra, iam mollibus vmbris
Sic fracti, nec bella pati, nec ducere remos,
Nec terram incuruo norunt suspendere aratro:
Ergo famem aduersus, violẽtáque frigora brumæ,
Hîc sibi desidiæ portum atque ignobilis oti
Esse rati, huc properant: illis custodia portæ
Creditur, aut aliis cura est commissa culinæ:
Hic hortos fodit, hic viduas circumuenit: illi
Pinguius ingenium est, rus ibit, fallet agrestum
Vulgus hebes, pueris fragrantia poma, puellis
Amuleta dabit, tenero redimicula collo:
Donec blanditiis fabellísque admirandis

De laruis, déque empusis, & lumine cassis,
Tandem captatum trahat in sua retia piscem.
Adde his quos febris, quos vexat dira phrenesis,
Aut alius cerebri expugnator morbus: in ipsa
Morte siti, quum iam medicus spondere salutem
Desierit, longa stolidi vertigine iurant
Se, quodcunque æui placati numinis ira
Iam deploratæ dignetur iungere vitæ,
In Franciscano victuros esse cucullo.
Hîc aliquis sancta pietate paterculus ardens,
Protinus insternit fuscam cum cannabe vestem,
Et caput exscalpit cerebrosum, & somnia blanda
Garrit in auriculam, meritorum mille trecentos
Promittit modios, venias inculcat, olympum
Defuncto spondet, viuo spondere paratus,
Captatæ potius quàm vel semiuncia prædæ
Vna breuis pereat. Tum spe lactatus inani
Interea miser ægrotus iubet optima quæque
Deferri ad monachos: argentea vasa, tapetas,
Molliculas vestes, & quicquid venditur auro,
Quatenus haud illis nudos fas tangere nummos.
Verùm hæc pinguiculis tenduntur retia turdis,
His cælum venale patet: si Codrus & Irus
Pauper obit, cessat pietas, non cymbala clangunt,

Nænia nulla ſonat: ſerie nec candida longa
Pompa præit, nullo planguntur funera luctu.
Sed nec funigeræ minor eſt acceſsio turbæ,
Quum mens veſano inflãmata cupidine vultum
Affingit ſpernentis opes, vilíque paratu,
Inceſſúque graui, & ficta probitate loquendi,
Seducit ſtolidam pietatis imagine plebem.
Nec prius ille furens animi ſatiabitur ardor,
Ambitióque procax, donec cum fune cucullo
Abiecto induerit regali tempora mitra,
Et quantum fas eſt mortali accedere cælo,
Scandat, & in terris cæleſtes tractet habenas.
Sũt quoq; qui ſordes fœdóſq; hoc tegmine mores
Poſſe latere putent, miſero vt dent verba popello,
Dum vitæ infami ſpecioſum obtexere velum
Contenti, introrſus pleni ambitionis & iræ,
Inuidiæ & fraudis, Chriſti prædentur ouile,
Incautum occulto vulgus fallente veneno.
Adijce præterea quos præceps alea nudat,
Quos Venus eneruat, quos & potatio pernox
Eiecit patriis laribus, quos vrget egeſtas,
Et quibus haudquaquã res ſunt in amore ſecũdæ,
Faſtoſæque inopes excluſit limen amicæ,
Quos ſcelus infamat, quos vitæ turpiter actæ
Inſequitur metus, & quos vrget tutor auarus:

Huc velut ad tutum cunctis est cursus asylum.
Hoc procerũ è numero crescit generosa propago
Funigeri gregis: hi patres quibus ille superbit
Ordo sacer, seges hæc orbis moderatur habenas,
Quos metus, ira, furor, mẽs tarda, ignauia, crimẽ,
Ambitio, res aduersæ, fastidia vitæ,
Durus amor, durus pater, implacata nouerca,
Et mendax virtutis amor collegit in vnum.
Nanq; velut quõdã quũ res aduersa premebat,
Ad laqueum, ad præceps, ad toxica, flumina, põtes,
Atque truces gladios, caligantesq; fenestras
Cursus erat, duram cupienti euadere sortem:
Sic modo quum sceleris pudor, aut formido seueri
Iudicis, aut grauior cunctis infamia pœnis,
Vrget, ad hunc scopulũ Franciſci in syrmate funes
Cingimur: & tanquam pariter cum vertice radix
Mens etiam sceleratacqueat, de sacrilegis, &
De parricidis, de furibus, atque cinædis,
Nos faciet cæli subitos rasura colonos.
Dira suum nunquam mutãt aconita vigorem,
Vimque mali, quanuis auro gemmáue bibantur:
Atque asinus, quãquam Tyrio conspectus in ostro,
Semper erit tardus, lea sæua, doloſus ichneumon,
Vrſa vorax, auidus vultur, bos mitis, hirundo

Garrula: sic animi non mores exuit atros
Vestis hyperboreas superans candore pruinas.
Nec simul exuuiis positis Massyla venenum
Vipera deponit, nec tigris monte relicto,
Mitior ingenio est: sic nec transcurrere montes,
Aut mare, vel populi cœtus vitare, vel atra
Veste tegi aut niuea, corióue aut fune recingi,
Aut mendicatum semper corrodere panem,
Turbatæ poterit mentis sedare tumultus.
Semper enim quocunque loco, quocunque recessu
Degeris, vsque licet Rhiphæa frigora brumæ
Fugeris, aut calidam vicino sole Syenen,
Te dolus & mentis malesuada cupido sequetur,
Et vigil occultis cruciabere pectora curis.
Nec si marmoreis circũdatus vndique claustris
Fugeris aspectus hominum, te sæua relinquet
Tempestas vesani animi: te conscius horror
Mentis aget vigilem, tibi diras tristia formas
Somnia nocte ferent, te insano turgida fastu
Gloria sublimem ventosis euehet alis,
Dum furit effractis tandem perrumpere clathris.
Scilicet is nuper contemptus homuncio, qui nec
Prima elementa sonis poterat distinguere certis,
Et quem nec stabulo purgando, olidæve popinæ

Præficeres, rasus, sophiæq; autore cucullo
Tectus, erit subitò doctus, sapiens, & honestus,
Et grauis, & prudẽs: iam de balatrone modestus,
De lenone pudens, & de latrone seuerus,
Et frater superûm, & cæli penè insitus aulæ.
Frater dixit, ita est: fratres vetuere, cauendũ est.
Frater erit iudex: causam committere non vis
Fratribus? in sanctos quicquã caue dicere fratres.
Tantum iuris habet cerebelli insania calui.
Et miramur adhuc simili si errore vetustas
Crediderit Cadmo serpentis dentibus olim
Esse satos comites, vel si Pagasæus Iason
Horruerit magicos terra prægnante tumultus:
Quum modò qui fuerat caprimulgus, treßis agaso,
Scurra vagus, subito mutatus numine mentem,
Fiat Aristoteles, Xenophõ, Plato, Zeno, Cleãthes.
Nunc quibus hæc studijs gens desidiosa popellũ
Captet, et in laqueos viduas trahat, omnia turbet,
Inuoluátq; orbem tenebris, & mobile vulgus
Fascinet, occulto sensim serpente veneno:
Si vacat, expediam. fraudes, ludibria, furta,
Philtráq;, & arcanas tibi pandere moliar artes.
Primùm vbi detonso vesano vertice, caudex
Qui fuerat, fit homo subitus, ceu vomere Thusco

Erutus ille Tages, vates iam doctus in ipso
Nascendi articulo: discit componere gressus,
Cancellare manus, caput inclinare sinistrum,
Versus humum spectare, oculis defigere limis
Omnia, pallori similem confingere vultum,
Sulphuris affuso circum os & tempora fumo:
Effugere occursus hominum, compescere risum,
Si quis adest, coràm reticere, interq; precandum
Inuitis oculis lacrymas simulare, boatu
Rancidulo in templis natiuum frangere cantum.
Quum bibitur, calicem digito cohibere sinistro,
Conceptis verbis aperire & claudere portas,
Conceptis verbis de somno surgere, mensam
Ponere, adire, referre, iubere, orare, salutem
Dicere, conceptis vrinam reddere verbis:
Scire quibus nodis & quot distinguere funem
Fas sit, vbi facilis pateat venatio prædæ,
Quo pueros fallas, quo tu sermone puellas
In Venerem accendas, viduas quæ retia captent:
Quo regum teneas aures, quæ munera placent
Terrarum dominos, quo vulgus mobile fuco
Decipias, quibus ægrotos in limine vitæ
Illaquees verbis, & testamenta resignes.
Hæc sunt funigeræ miranda proœmia sectæ,
Vera rudimenta, & sanctæ prælùdia vitæ:

Hoc eſt cur aliquis patriam charóſque propinquos
Abneget, & dulces obliuiſcatur amicos:
Cur vagus, exul, inops, erro, peregrinus, & exlex,
More feræ toties mutet præſepe, tot annos
Scurra procax currat, cunctos allatret, in omnes
Sæuus, blandus, atrox, inimicus, amicus, vt aluus
Imperat: hæc illis lex vna & regula vitæ eſt.
Hæc vbi iam praui docilis præcepta iuuentus
Imbibit, & vitæ ſeſe deuouit inerti,
Protinus è caluo ſenior grege, lippus, inermis
Gingiuas, tremulúſque manus, rugíſque verẽdus,
Incipit arcanæ latebras euoluere ſectæ,
Et ſophiam abſtruſam placidis recludere dictis.
O iuuenes (inquit) quos torti vincula funis,
Quos tonſura eadem, ſoleæq́; feneſtra recluſæ,
Par votum veſtéſque pares atque otia iungunt:
Iam mihi vix raris variantur tempora canis,
Vox fragilis, latus infirmum, greſſúſque labantes.
Iam propè decurſo ſpatio, ſpectare propinquam
Fata iubent metam: iam quinquageſima meſſis
Sub calido ſemper placidè tranſacta cucullo,
Liberat officiis vitæ. fortuna benigna
Me tamen haud fruſtra lõgum ſeruauit in æuum.
Nam, ceu Tireſias Ithacum, Priameius heros

Magnũ Anchiſiaden iterúmq; iterúmq; monebat,
Quos peteret tutò portus, quò flectere curſus
Deberet, leuibus fugeret quæ littora velis:
Cur ego vos, animæ noſtræ pars maxima, amicis
Non monitis horter? digreſſum & pauca ſub ipſum
Edoceam? iuuat exhauſtos iterare labores,
Et ſulcata meis percurrere littora remis.
Principiò quum veſtra ætas ſic mollibus vmbris
Sit fracta vt nec bella pati, nec frangere remis
AEquora, nec terram poſſit verſare ligone,
Et fuget Aonias ſocors ignauia Muſas,
Huc animos iuuenes certatim aduertite, & acri
Mente Seraphinæ myſteria diſcite ſectæ.
Sancta quidem certis fulcitur ſecta columnis,
E quibus in primis locuples Confeßio, largo
Prouentu eſt, gnauum non deceptura colonum.
Vt ſeges agricolam fallat, pulſatáque triſti
Grandine vix rariſ ſpumet vindemia prelis,
Et pecus abſtulerit belli furor, vnica nunquam
Artifici imponit Confeßio callida docto.
Hoc telo armatus noſter ſe regibus ordo
Terribilem oſtendit, ſolióque extruſit auito
Quos viſum eſt, alios ad ſumma cacumina rerum
Extulit, & multa ſtabiliuit cæde tribunal.

Nanque vbi cunctorum sensus secretáq; mentis
Noueris, in promptu est tibi coniurata fouere
Pectora consiliis, timidúmque in fœdera vulgus
Cogere, vt ignotas possint expendere vires,
Vel proceres merito de te bene prodere regi.
Ergo, vos siquidem numerandi crimina curæ
Detineat, matrona locum ditissima primum
Vendicet, aut dulci assuetus danista lucello:
Proxima mercator teneat loca: tertius ordo
Nobilium est, quos aut ditat quæsita rapinis
Præda, vel innocuo manus oblita sanguine ciuis
Reddidit insignes: post hos, aut diuitis aulæ
Assecla, aut famulus, ancilla, puella, puellus.
Sed neque lenonem, nec tu contemne latronem,
Spes modò si lucri: qui nil quod donet habebit,
Ἐς κόρακας. *quis enim sterili committere sanus*
Semen agro curet? quis inanes irriget hortos?
Hîc vbi secretam penitus demissus in aulam
Pectoris, arcanas latebras cognoueris, omnes
Tum facies rerum, tum vafrum Protea finge.
Quum tibi crediderit virgo quod credere matri,
Quod socius socio, quod nolit nupta marito,
Tum pete securus quiduis, tum vincula captis
Iniice, tunc humeris quemuis superingere fascem.

Nam

Nam ſemel arcanæ tibi qui penetralia mentis
Nudauit, penitúſque alto ſub corde repoſtos
Detexit ſenſus animi, timet, horret, & odit,
Quanuis diſſimulet: ſed mens malè conſcia pallet
Ne commiſſa tegas malè vino liber, & ira
Commotus, magnóque ſatis non munere cultus.
Hoc vbi fertilior præda eſt deprenſa capiſtro,
Poſce, iube, rape, ſtringe, omnẽ dum ſpongia ſuccũ
Egerat, exhauſtúmq; penũ in tua cõgere clauſtra.
Nec tamen ætatis, nec te diſcrimina ſexus
Prætereant. primæ quoniam lanuginis ætas
In venerem eſt præceps, lucris addicta ſenectus,
Virgo capi facilis blandæ dulcedine linguæ,
Vana ſuperſtitio mentes exercet aniles,
Mercator dulci poſtponit numina lucro.
Si matrona potens, vel prædæ victima opimæ
Incidit in caſſes, cautus confinge petendi
Mille nouas artes: caries annoſa columnas
Diruerit, ſacram Boreas nudauerit ædem,
Clauſtra latus magna pandant adaperta ruina,
Deſint ligna foco, nemorum ſi diues abundet:
Si locuples agri eſt, atrum corrodere panem
Finge tuos fratres, langueſcant pocula vappa:
Ruſtica cortis aues, agnos, hædóſque petulcos

Mittat: ab vrbanis ſacræ pete ſtragula menſæ,
Poſce ſacras veſtes, quódque oras ambiat aurum,
Quod calicẽ fractũ inſtauret. quod lignea pingat
Signa, quod in vitreis poßit ſplendere feneſtris.
Det miles prædæ partem, furtíque, latrones,
Mercator fuluis redimat periuria nummis.
Et quoniam teneræ nequeunt donare puellæ
Munera, dẽt quod habẽt, quod ſecuræ dare poßũt.
Hæc animo memori præcepta recondite fratres,
Quæq; locus, tempúſq; dabũt, quæ ſexus & ætas
Permittent. hinc dies opum venit annua cura,
Spéſque voluptatum, charæ ſine crimine famæ.
Quòd ſiquis ſanctæ fugiat commercia ſectæ,
Sentinámque tuæ nolit mandare cloacæ,
Illius ancillas famulóſque accerſe loquaces,
Inquire in mores, paßim ſere crimina, in aurem
Omnibus obganni ſecreta piacula. quòd ſi
Criminibus non vlla locum fortuna miniſtret,
Actáque ſincerè conſtet pars maxima vitæ,
Hæreticum clama, nitidum prætexere fucum
Occulti ſceleris maculis tacitóque veneno,
Sic hos in laqueos trepida formidine, & illos
Credulitate trahes, vel ſpe, vel fraude, vel arte.
Vt captum teneas intra tua retia piſcem,

Grande ſcelus leuibus contentus plectere pœnis,
Nec precibus longis lacrymíſue piacula dele
Horrida, ſed nummis loculos, non pectora fraude
Exhauri: vel templa iubes vel claustra vel aras
Extruat, aut multis redimat ieiunia Miſſis.
Hoc quoq; præmoneo ſuper omnia, corda iuuẽtæ
Inſice, ſopitos accende libidinis ignes:
Semina flagitii in vacuo turgentia campo
Vſque foue, plenos ſceleris dum reddere fructus
Poſſint, & latè in pingui regnare nouali.
Hic ager, hæc ſeges eſt, hæc noſtræ vinea ſectæ.
Hunc igitur multo ſcelerum pingueſcere cæno
Effice, & infuſis hunc exaturato cloacis.
Non tam Rhiphæa metuenda iniuria brumæ,
Atque ſuperfuſo tellus ſubmerſa profundo,
Aridáque inſolitis candens feruoribus æſtas,
Quàm ne diſcuſſis tenebris reſipiſcere mundus
Incipiat, quàm ne patefacto lumine veri,
Inſpiciat noſtras plebecula ſtulta tenebras.
Sed iam ruricolis labor impendendus, apricos
Iam luſtrare iuuat campos, pérq; ardua montium
Ire iuga, & latos indagine claudere ſaltus.
Ecquis io iuuenes tenebris & inertibus vmbris
Poſthabitis, ſtrepitúque vrbis, nigráque popina,

Audet in aërios nemorum conſcendere tractus,
Bacchatóſque choris Nympharum accedere fontes,
Pratáque purpurea ſemper renouata iuuenta?
O mihi ſi calido ferueret corpore ſanguis
Integer, & validæ vires, firmatáque neruis
Membra ſuis, quàm prata libens & florea Tempe
Aſpicerem, & viridis captans vmbracula ſyluæ,
Et tremulæ leue murmur aquæ, cantúſq; volucrũ,
Languida ſepoſitis releuarem pectora curis!
Nunc quoniam hæc nobis inuidit ſerior ætas
Commoda, & effœtis membris ignaua voluptas,
Veſtrum opus hoc iuuenes, veſtra hæc vindemia: laxas
Ferte plagas, laqueos innectite, tendite caſſes,
Aruáque funigero reſonent pecoroſa moloſſo.
Primùm igitur qui rura petis, ſi mollia tardo
Membra labant æuo (quum nos equitare parentis
Franciſci præcepta vetent) aut vilis aſelli, (læ:
Aut hinni ambigui, aut ſterilis preme tergora mu
Carpe viam pedibus iuuenis. nec munera deſint,
Quæ faciles capiant animos, pictæve tabellæ,
Aut ſcelerum veniæ, ſimulachráve plũbea, imago
Chartea, vel paucis venalia munera nummis.
Nam neque piſcator ſapiens radiantibus auro
Piſcem hamis captat, nec ſerica retia tendit.

Sæpe & odoratis oneretur mantica pomis,
Sæpe pirum, primámque manu decerpito ficum.
Piſce etiam piſcis capitur, grus capta volantes
Fallit ſæpe grues. nec ſperni vilia credas
Munera diuitibus. cernis quàm parua feroces
Vincla feras teneãt, quàm paruos currat ad hamos
Mulus: virga tenet grandem viſcata volucrem.
Adde quòd haud cunctis eſt vtile retia ſyluis
Tendere, nec mulus quauis capietur in vnda,
Nec laqueo accipitres venatur callidus auceps,
Nec cererẽ dabit omnis ager, nec Maſsicus humor
Aſpera purpureis veſtit dumeta racemis.
Diſpice propterea quo tendas retia ſaltu,
Cui laqueos prædæ, quem fallat linea piſcem.
Nec tibi ſum (multis licet hoc arrideat) autor,
Vt ſacra diſsimulet teneram raſura puellam,
Quæ feſſa anxiferis ſoluat præcordia curis.
Ambigua quanuis ſexum mentita figura
Decipiat multos, tamen hinc diſcrimina mille,
Mille manent caſus: ſæpe haud fruſtrata ſagaces
Suſpicio occulti pandit veſtigia furti:
Sæpe etiam læſi grauis imminet ira mariti,
Perſequitúrq; fugam, & rapta pro coniuge ſæuit
Bella ciens. ſacræ non illum infamia ſectæ,

Non pudor, aut pietas poterit cohibere furentem:
Dedecus in vulgus profert, rumoribus iras
Expiat, in cunctas serpit noua fabula cœnas.
Aut si turgidior mouit præcordia bilis,
Vel resecat ferro peccantia membra, vel arcto
Fune ligans tendit, vel terga caputq; colurno
Fuste domat, sanctam haud veritus temerare coronam.

Arbitror & vobis notum quod contigit olim
Burdegalæ, nec (si ignotum est) narrare pigebit.
Obfuit exemplum patribus, fortasse nepotes
Instruet. Eximia quidam pietate probatus
Frater erat, quo non quæstus studiosior alter,
Nec magis edoctus laqueo implicuisse tenaci
Pinguiculas viduas, stupidóque imponere vulgo.
Hic vbi iam multos prædator callidus annos
Santonicos lustrasset agros, & vtrũque Garumnæ
Littus, & antiquæ felicia rura Tholosæ,
Tandem Burdegalam fatis vrgentibus intrat
Cum consorte viæ, nouies cui turgida pleno
Orbe diem admorat partus Lucina propinqui.
Illa, rudis miles, tumidi dum crimina celat
Iam matura vteri, colluctatúrq; dolori,
Audet iter longóq; viæ perferre labores,
Nec timet irato sese committere ponto:

Tantus amor ſacræ penitus ſe addicere ſectæ.
Ecce autem, pronum dum findit puppe Garūnam,
Fluctuat, & tumidis pinus vexata procellis
Heu bene celati patefecit damna pudoris.
Dum timor introrſus gemitusq́ & verba retētat,
Dum labor in veras cogit prorumpere voces,
Editus in mediis infans euagÿt vndis.
Pars facti nouitate ſtupet, quódq́ audÿt ipſa,
Vix audiſſe putat: petulantior altera riſu
Perſonat: aſt alius tumida ſuccenſus ab ira,
In mare præcipitem monachū, & cū prole parētē
Proturbare iubet, lethóque abolere nefandum
Dedecus, & monſtro miſeram releuare carinam.
Hinc tumidos fluctus, pontóque furente procellas,
Ventorúmq́ minas, & apertam numinis iram.
Siquis adeſt animi pius, & moderatior iræ,
Occultare cupit facinus, parcítq́ benignus
Errori, humanos prudens expendere lapſus,
Agnoſcitq́ ſuas alieno in crimine vires.
Ergo dum trepidant diſcordia pectora vulgi,
Nautarúmque fremit per littora rauca tumultus,
Infelix frater turbæ ſeſe inſinuans clàm
Tramitibus cæcis elabitur, oráque vetans
Vertice demiſſo peregrinas exul ad vrbes

Mœstus abit, pœnásque domi famámq; siniſtram
Formidans, miſerámq; gemẽs cum prole puellam,
Quam ſolam atque ægram nuda liquiſſet in acta,
Inter inhumani riſum & ludibria vulgi.
Ipſe ego tum validus, viridíque in flore iuuentæ,
Nec linguæ nec vocis inops, nec flectere corda
Plebis inexpertus ſtolidæ rumore ſecundo,
Vix tamen aduerſæ gliſcentia murmura famæ
Flectere, vix potui populi compeſcere voces:
Sæpe licet verbis factum execrarer amaris,
Autorem ſceleris comitem licet eſſe Lutheri
Iurarem, ſanctæ latitantem nomine ſectæ.
Penè mihi exciderat quod primum penè monere
Debueram gnauos ruris genialis alumnos,
Vt quid quæq; domus præſtet, quid vir muliérve
Quæque, ſit in memores id cura referre tabellas:
Ne, noua cui fuerit prouincia tradita ſorti,
Annua vel redimit qui vectigalia, vel qui
Hoſpes ad externas (vt fit) proficiſcitur vrbes,
Erret inops animi, dubius cœnæq; lariſque,
Quæ petat ignarus, quæ vitet tecta, quid inde
Speret, vbi certum faciant mendacia quæſtum.
Atque vbi ſucceſſor te tardum exceperit æuo
Iunior, huic tabulis deſcriptum tradere cenſum

Non ſatis, arcanis muliebria nomina ſaltem
Punge notis: ſiqua eſt animo obfirmata rebelli,
Siqua procax, ſimplex, inceſta, proterua, benigna,
Cuique notent mores propriis diſcrimina ſignis.
Sed me præteritæ ſuauiſſima mentio vitæ,
Longius ac volui tenuit. Pars maxima rerum
Reſtat adhuc, ſanctæ columẽ, caput, anchora ſectæ.
Nam vaga ſub certas cõprendere crimina formas,
Et ſe prodentes animi pernoſcere mores,
Artis opus modicæ eſt, celeríq; addiſcitur vſu,
Inq; peragrandis ſola eſt induſtria villis.
At verò è celſæ ſublimem ſede cathedræ
Mille oculos in ſe intentos auréſque tenere,
Et velut iniectis tot circumflectere frænis
Ora hominũ, & reſides animos turbare tumultu,
Et molli alloquio trepidos componere motus,
Magnæ mentis opus, cui ſit ſolertia prudens,
Ingeniúmque capax, proiecta audacia, promptus
Sermo, pudor nullus, firmum latus, acer in ore
Cui vigor, & vocis ſonus aſper, lenis, acerbus,
Vt res cunque feret: cui vultus cereus, omnes
Tranſire in formas docilis, mens ſubdola, fallax,
Et recti prauíque tenax: pro tempore fingat,
Diſſimulet, ſimulet, præſens vbi poſtulat vſus.

Hæc quotus in turbæ quisque est tot millibus vnus
Qui præstare potest? nisi sicui fortè benignus
Deucalion raro finxit præcordia saxo.
Nec tamẽ expectet quisquã dũ rhetora fingens,
Diuitis eloquij prima incunabula pandam,
Et vulgata scholis passim præcepta reuoluam,
Tradere quæ possit triuialis cura magistri.
(Vos ô Calliope precor aspirate canenti,
Maius opus moueo) sed nec per deuia Tulli,
Aut Fabij longos te circunducere tractus,
Aut per Aristotelis spineta asperrima conor.
Commodius patefiet iter, quâ nulla salebra
Offendet pulsata pedem, quâ semita nostris
Trita rotis noto deducet limite gressus,
Mollia cliuosi dirimens compendia prati.
Primum iter ingressus, tenerũ de fronte pudorẽ
Excute. nec vacuæ est vnquam pudor vtilis aluo,
Nec decet audacem nisi ficta modestia scurram.
Quòd si naturæ vitio malè firma ruborem
Frons trahit, & subitas cõfundit purpura malas,
Tum tibi vel fructus, vel Bacchi largior vsus,
Curáque & assiduæ meditatio garrula rixæ
Durabit solidum rubicunda per ora cruorem.
Nec te grammaticas opus est ediscere nugas,

Et tetricis languere ſcholis: tantùm eligę gnomas
Priſcorum è libris paucas, tria commata Tulli,
Virgilij totidem verſus, vel carmen Horati
Dimidium. hæc omnis ceu condimenta loquelæ
Semper habe in promptu. ſic creſcet opinio. ſurget
Hinc decus, & ſtupidi magna admiratio vulgi.
Noui ego qui tantũ ter quinque Latina teneret
Verba, ſed ingenij ſic dexteritate valebat,
Vt quocunque loco, de re quacunque, parata
Semper, & ad nutum poſita in ſtatione teneret,
Ταῦτ' ἀπαμειβόμενος. Nec te vox barbara turbet,
Aut temere erumpens lingua titubante ſolœcus.
Tot ſanctos oppone patres: myſteria ſacra
Turpe eſt grammaticis ſubmittere colla capiſtris.
Nec mihi diſpliceat primo muliebria paſſus
Flore æui: hinc effrons audacia naſcitur, atque
Fœmineum in morem rixandi inſana voluptas.
Cura ſit in primis tibi linguam armare veneno
Verborum, AEtna animas, animas tibi torreat Hęcla,
Tartara ſulphureis voluant incendia fumis
Mixta: tibi nigris Phlegethontias vnda ceraſtis
Bulliat, & miſeras lacerẽt cacodæmones vmbras,
Donec fracta crepent longis ſub dentibus oſſa.
Nec minus horrẽdos purgatrix flãma vapores

Euomat: æterno nisi quòd non æstuet igne,
Sed precibus vinci queat, & lustralibus vndis
Extingui, bullis minui, Missísque leuari.
Hic ager est dives, nostríque colonia Papæ:
Nectaris hic fons est, hæc vectigalia nostri
Ordinis, hæc fatuo tenduntur retia vulgo.
Ista relegatos cælesti à limine manes
Contineat sedes, donec mercede soluta
Extrahat è calida excoctos fornace sacerdos.
Is musset Missas, venijs venetur, & vndis
Irrorans magicis findat caua busta susurris:
Sed tantùm dites cruciatu liberet vmbras.
Ista tibi ad populum clamanti sylua ministret
Tela: nec vt desint metuas, dum scripta manebũt
Virgilii, dum Lombardi rhapsodia, Thusci
Nugæ Antonini, sacri commenta legentur
Gregorii, vel mendici mendacia Thomæ.
Néue ruant lapsis tam ditia tecta columnis,
Quæ super æternam posita est Ecclesia petram,
Tu Petrum super ædifica, qui claudere cælum,
Tartara qui solus possit: nec tartara tantùm
Soluere, sed loculos fatuorum, arcæ sed auaræ
Vincula, sed stantem plenum ad præsepe iuuencã.
Hæc qui sacrilegis ausit conuellere verbis,

Schismaticus sit, & hæreticus, sit torris Auernæ
Ollæ, opifex scelerum, furiarum filius, Orci
Germen, & in mẽtem quicquid tibi splẽdida bilis
Suggeret, huc omnes tonitrus, huc fulgura linguæ
Congere, próque focis hîc depugnetur & aris.
Frigida tu Christi & comitum præcepta seueris
Linque scholis: aut siquis adhuc antiqua requirat
Antiquarius, & veterum ieiunia patrum,
Tu mihi crede tuæ semper memor esto culinæ.
Et quoniã in proceres vulgus maledicta libẽter
Accipit, & fandi hæc latè patet area, bella,
Furta, latrocinia, & vis, fraus, iniuria, cædes,
Atque ingens scelerum semper sese offeret agmen,
Illic tela tuæ poteris distringere linguæ.
Res tamẽ hæc populo lõgè est gratissima, quãdo
Ordo sacerdotum est acri perfusus aceto.
Nec locus est alius fœcundior, vt neque in vlla
Parte magis vitæ regnante libidine tetra.
Hîc & crassorum licet abdomen monachorum
Arripere, hîc luxum, cælóque minantia tecta
Pontificum, fractíque malis alimenta popelli
Infumum & cinerem conuersa, domestica castra
Scortorum, scelerum artifices, mollésque tinædos,
Lenones, scurras, balatrones, psallere doctos

Semiuiros, gestire manu, pede plaudere terram,
Et condire nouis exotica fercula succis.
Præsulis hæc sancti quãdo est non vltima virtus,
Maiorum à magna non degenerare culina.

Interea fac stet mendicus ad ostia Christus,
Implorétque fidem vinosi antistitis algens,
Et sitiens, saniémque vno non vlcere stillans,
Nec ferat vllus opem: nisi fortè canicula blanda,
Et saturo domino clementior, vlcera lambat.
Hîc poteris totum Bernardum effundere, manes
Ex Acheronte ciere, animæq; audire querélas
Implorantis opem. Sed quid numeramus arenam
Littoris? hîc nunquam (mihi crede) oratio deerit,
Dum Papa omnipotens Capitoli immobile saxum
Accolet, imperiúmque pater coleatus habebit.
Ne nimium Sodomã tamẽ infamémq; Gomorrham
Ingere, doctores ne culpa redarguat ipsos.

Hac vbi iam fueris sat debacchatus arena,
Et proceres licuit populo laniare secundo,
Collige paulatim tete, procerésque iacentes
Erige: sint sontes, & nullo à crimine puri:
Non tamen his cuiuis fas obgannire, nec arcto
Soluere colla iugo. quanuis moderetur habenas
Sacrilegus Iudas, Romanáque templa gubernet,

Trudat & innumeros ad pallida tartara manes,
Priuato mutire nefas: rapiátque ferátque,
Et laceret totum conuulso cardine mundum.
Tu tacitus specta (dices) mundíque ruentis
Vindictam permitte Deo. citiúsque parentis
Inualidi iugulum ferro reclude, profana
Quàm violes dextra rasi malè sanus honorem
Verticis: vxorem quanuis manifestus adulter
Et natos natásque tuas compresserit, & te:
Sed nube, atque tace potius, nullúmque recuses
Flagitium, quàm traducas quos vnctio sanctos
Et rasura facit, sacræq; licentia bullæ.
His vbi præceptis molles calfeceris aures,
Tum licet adiicias magnæ primordia Missæ,
Quóque sacerdotum gentem decorarit honore
Cælituum Pater: vt soli sibi fingere numen
Murmure verborum possint, tenuíque farinæ
E massa generare Deum, genitúmque repentè
Frangere, sacrato fractum mersare falerno,
Visceráque & carnes, cúmque albis ossa medullis,
Semianiméq; artus auidam demergere in aluum.
Tanta sacerdoti quum sit permissa potestas,
Quam neque purpurei possint sibi sumere reges,
Quisquis & æthereos bonus angelus incolit orbes,

Quisquis & infernas malus angelus incolit vmbras,
De pane vt numen faciant, de numine ꝓꝰ:
Vnde homini fragili hæc proiecta audacia, vt ausit
Christophorum vel Christiuorum violare nefando
Sacrificum verbo, aut sceleratã impingere dextrã?
Sic in sacrificos iaciens conuitia, vulgus
Conciliare potes: sic rursum auertere læsi
Iram sacrifici poteris, quum numinis instar
Efficies sacrosanctum, atque à formidine duri
Iudicis exemptum: quanuis fregisse paternum
Vicini clament iugulum, matrísque morantis
Vota Sibyllinam laqueo finisse senectam.
Nam velut ex vsu est cunctis afferre timorem
Ordinibus, cunctos sic conciliare necesse est,
Vnde vel exigui fulgebit specula lucri.
Vnũ illud moneo, atq; iterúmq; iterúmq; monebo,
Et tamen haud vnquam monitũ satis esse putabo,
Tarsensis fuge scripta senis, fuge toxica nostri
Ordinis. O primis vtinam periisset in annis,
Aut mansisset adhuc hostis. licet, antè renatus
Viuifica quàm lympha esset, tam multa dedisset
Funera, grassatus ferro, ingentíque procella
Afflixisset adhuc tenerum pietatis ouile:

Plus

Plus tamen adscriptus nobis, plus factus amicus
Obfuit. & nisi funigeri præsaga parentis,
Cornua cui nomen dederant, oracula fallant,
Tempus erit quum Paulinis malè credula scriptis
Turba sacerdotes templis expellet & aris:
Quæq; propè in terris ædes imitantur olympum,
Diruet, & cineres diuorum atque ossa profundo
Merget: & immisso victricis lumine veri,
Ostendet populo mysteria nostra profano.
Illa meo (siquidem ventura est) serior æuo
Hora precor veniat. Sed vos quibus imminet ingēs
Tempestas, vigilare decet, cunctósque monere
Opportunè, importunè, ne incauta iuuentus
Occulta attingat prorsus mysteria Pauli,
Néve in vulgares vesana audacia linguas
Transferat, indocto non committenda popello.
Quæ, quia non penitus fas est abolere, probata
Tot serie annorum, quæ cautio proxima, saltem
Efficite vt vulgus tenebris velut abdita cæcis,
Sorbonæ hæc senibus lippis tractanda relinquat:
Sed tum quum resides acuerunt pocula sensus.
Nostra licet super has sit secta extructa colūnas
Præcipuè, non pauca tamen, nec parua supersunt:
Sed propè iam vulgata, nec artis egentia nostræ,

Nec vocis, sed quisque sibi quæ tradat, & vsu
Addiscat: thalamos ceu conciliare iugales,
Aut malè coniunctas causando soluere tædas,
Aut vbi deprenso rupta est concordia mœcho,
Vxori à duro veniam impetrare marito.
Illa tamẽ patribus seges olim vberrima nostris,
Fingere nocturnos lemures, manésque vagantes
Lustrali compescere aqua magicísque susurris,
Frigida nunc tota est, postquam nasuta iuuentus
Pectora crassorum malè credula ridet auorum:
Nec credit nisi quæ Scriptura teste probaris,
Coniurata licet magnis Sorbona sigillis
Figmenta affirmet. verùm melioribus annis
Hæc thalami clausas frangebat machina portas,
Hæc testamenti tabulas mutabat: & ibat
Vir peregrè Romam aut Solymã, dũ tædia mœchũ
Iam sibi permissi caperent lecti. Ast vbi diues
Vmbra, oblita sui, paucas in funcra Missas
Legarat, potiúsque suis bona linquere natis
Duxerat excedens, quàm nostros vngere caules,
Non impunè nefas soliti id perferre priores.
Is dolor arma dedit generosis fratribus, vndam
Ad Ligeris, quâ diues agri, quâ diues Iacchi
Ostentat longè formosa Aurelia turres.

Et nisi cauta parum pietas in fraude paranda
Inter tot vigiles Argos deprensa fuisset,
Partus honor nostræ foret & dignatio sectæ.

Sæpe qdē nobis facimus mala multa, velut quū
Alter in alterius damnum sese ordinis armat.
Berna nouum sibi Franciscum iam finxerat, & iā
Stigmata clara pedū, & manuū confixa patebāt,
Ni vicina dolens augescere commoda liuor,
Ficta renudasset magno ludibria risu,
Nec damno leuiore. Italæ sapientia maior
Illa oræ, quæ Senensis tacitè Catharinæ
Vulnera dissimulans, pensat mendacia quæstu,
Barbaricúmq; ad sese istis artibus attrahit aurū.

Sed tamen hoc æuo temere miracula fingi
Noluerim, nisi monticolas inter crassósque
Pastores. nec pastores iam spernere tutum est,
Quando etiam in solas migrat sapientia syluas.
Quis rigidos Scotos gelidi sub vertice cæli
Aut animū aut aures oculósve habuisse putasset?
Et tamen ille catus vetularum Langius auceps,
Quum teter locus errori & nox cæca faueret,
Non potuit celare piæ ludibria fraudis.

Campus erat latè incultus, non floribus horti
Arridēt, non messe agri, non frondibus arbos,

Vix ſterilis ſiccis veſtitur arena myricis,
Et pecorum rara in ſolis veſtigia terris:
Vicini deſerta vocant. ibi ſaxea ſubter
Antra tegunt nigras Vulcania ſemina cautes,
Sulphureis paſſim concepta incendia venis
Fumiferam voluunt nebulam, piceóque vapore
Semper anhelat humus: cæcíſque incluſa cauernis
Flãma furens, dum luctando penetrare ſub auras
Conatur, totis paſſim ſpiracula campis
Findit, & ingenti tellurem pandit hiatu:
Teter odor, triſtíſque habitus faciéſque locorum.
Illic ſæpe animas torqueri Langius, illic
Sæpe queri, & longas in fletum ducere voces
Audiit, aut voluit credi audiuiſſe frequenter,
Et vitulabundos cacodæmonas, & per arenas
Caudarum longos ſinuatim ducere tractus.
Sæpe etiam infernæ (quoties ieiunus adibat
Antra) ſibi viſus nidorem haurire culinæ.
His vbi iam vulgi ſtolidas rumoribus aures
Imbuerat, parat exorciſmum. circulus ingens
Ducitur, hunc intra ſpatio breuiore minores:
In medio ſtabat palus, iuxtáque catinus
Plenus aquæ: ſed cui cinerémque ſalémq; ſacerdos
Addiderat multo cum murmure, nec ſine anhelis

Flatibus. Hoc postquam scena est instructa paratu,
Langius ipse pater sacro venerandus amictu
Circum omnem irrorat setosi aspergine sceptri,
Verbáque præcipiti contortuplicata rotatu
Conuoluens, cælum ac terras adiurat & vndas,
Et tremefacta imis Acherontia regna cauernis.
Et iam nox aderat secreti conscia sacri,
Jámque è vicinis populus conuenerat agris,
Matres atque viri, pueri innuptæq; puellæ,
Scire auidi quò tanta cadant promissa: nisi ille
Conscia secreti formidans lumina & aures,
Esse procul magna iussisset voce profanos,
Quíve sacerdoti non illa luce disertè
Cuncta susurrasset tacituram crimina in aurem:
Laica ne trepidi fugiant commercia manes,
Néve inhians prædæ vel ieiunus cacodæmon
Inuolet, & laceret sceleratorum vnguibus artus.
Ducitur ad palum, velut hostia, rusticus ipse,
Ficta quidem gnarus cuncta, at formidine tanta
Atton itus, quàm si Stygia egressurus ab alno
Aspiciat nudas mandentem Cerberon vmbras.
Siue animo timor à puero conceptus, aniles
Fabellæ, haud modicus pueris plorantibus horror,
Siue locus fumo, & cæca caligine opacus,

Et velut infernæ terrebat imago culinæ.
Cætera submoto clàm cuncta peracta popello:
Sed tamen audiri gemitus, vocésq; minantis
Dæmonibus, mixtæq; preces: nulloque rogante
Interdum responsa dari: nunc tollere vultus
In cælum, nunc figere humi, nunc plãgere pectus
Langius, & sacra templum conspergere lympha:
Donec auis lucis prænuntia spectra moneret
Cedere, & in veterem se denuo condere nidum.
Tum templo egressi, dicenda tacenda referre
Langius, vmbrarum pœnas, flammæ rapidã vim
Lustralis: quot carnifices cacodæmones ollas
Admoueãt, verubus quot figãt, fluctibus vmbras
Quot mersent gelidis, quot Missis cuique leuetur
Pœna: velut ciuis Stygio vixisset Auerno,
Ordine cuncta recensebat. neq; credula deerat
Turba homini: purgatricis rediuiua fauillæ
Gloria crescebat, multùm indignante Luthero:
Et creuisset adhuc, nisi vel formidine captus,
Vel pretio victus, vel vino, rusticus ille
Anormis comes, exorcismi proditor eheu,
Cuncta reuelasset taciti mendacia sacri.
Ex illo fluere & retrò sublapsa referri
Spes prædæ, & nimium viuacis gloria veri

Crescere. Quapropter moneo, dehinc fingite parcè
Somnia, nocturnos lemures, miracula: ni fors
Aut apud extremos fieri dicantur Iberos,
Americósve, aut AEthiopas, calidóve sub axe,
Et caput ignotis vbi Nilus condit arenis:
Vnde aderit nemo qui testis dicta refutet.
Forsitan externos solertia fugerit hostes
Callida, sed pestem natam intra viscera, & ipsis
Hærentem venis, hominum vix vlla cauebit
Cura. nisi nostros vis prouida numinis olim
Respexisset auos, iamdudum funiger ordo
Proditus à propriis miserè periisset alumnis.
Siquis erit fratrum qui suasu dæmonis ausit
Efferre in vulgus mysteria condita, fraudes
Occultas, ritus nocturni arcana, negatum
Depositum, cæsas post stupra nefanda puellas,
Quicquid & extinctis frater patrare lucernis
In fratres solet imberbes: hæc prodere siquis
Audeat, extemplo scelerato sanguine pœnas
Soluat, & æterna compostus pace quiescat.
Hæc sunt quæ nostro liceat sermone monere.
Et iam plena epulis mensarum fercula fumant,
Latrantẽq; fame stomachũ propè verba relinquũt.
Hactenus Eubulus, qui facta nefanda perosus

Funigerûm, pœnas etiam metuebat acerbas,
Orgia non veritus populo euulgare profano,
Is mihi carminibus lustrato, & sulphure, & ouo,
Et viua rorato vnda, cerebrosa fugauit
Somnia de rasis, de cannabe, déque cucullis,
Inq; hominum nugis ad lucra nefaria fictis,
Nulla esse ad vitam docuit momenta beatam.

SOMNIVM.

MANE ſub auroram, nitidæ vicinia lucis
Pallida venturo quum facit aſtra die:
Arctior irriguos ſomnus complectitur artus,
Demulcens placido languida membra ſinu:
Quum mihi Franciſcus nodoſa cannabe cinctus,
Aſtitit ante torum ſtigmata nota gerens.
In manibus ſacra veſtis erat, cum fune galerus,
Palla, feneſtratus calceus, haſta, liber.
Et mihi ſubridens, Hanc protinus indue, (dixit)
Et mea dehinc, mundi tranſſuga, caſtra ſubi.
Linque voluptates cum ſollicitudine blandas,
Vanáque continui gaudia plena metus.
Me duce, ſpes fragiles & inanes deſpice curas,
Et ſuperûm recto tramite limen adi.
Obſtupui ſubita defixus imagine, donec
Vix dedit hos tandem lingua coacta ſonos.
Pace (inquam) veſtri liceat depromere verum
Ordinis, haud humeris conuenit iſta meis.
Qui feret hanc veſtem, fiat ſeruire paratus,

At mihi libertas illa paterna placet.
Qui feret hanc, ponat perfricta fronte ruborem:
At non ingenuus nos sinit ista pudor.
Qui feret hanc, fallat, palpet, pro tempore fingat:
At me simplicitas nudáque vita iuuat.
Nec me phthiriasis, nec rancida cantio terret,
Inq; diem ignauæ viuere more feræ,
Ostia nec circum magno mugire boatu:
Si tamen his nugis ætheris aula patet.
Peruia sed raris sunt cæli regna cucullis,
Vix monachis illic creditur esse locus.
Mentior, aut peragra saxo fundata vetusto
Delubra, & titulos per simulachra lege:
Multus honoratis fulgebit episcopus aris,
Rara cucullato sternitur ara gregi.
Atque inter monachos erit hæc rariſsima vestis:
Induat hanc, siquis gaudeat esse miser.
Quòd si tanta meæ tangit te cura salutis,
Vis mihi, vis animæ consuluisse meæ?
Quilibet hac alius mendicet veste superbus,
At mihi da mitram purpureámque togam.

PALINODIA.

VISVS eram nuper cæli procul aurea supra
Sidera Gorgoneo scandere vectus equo:
Quâ secat in geminas orbem via lactea partes,
Et Iouis ad magni limina pandit iter.
Fas mihi sit mundi reserare arcana latentis:
Fas mihi sit vera pandere visa fide.
Non ego Phlegræis venio speculator ab armis,
Rursus vt attonitum terreat Ossa polum:
Nec mihi furtiuæ damnarunt lumina flammæ,
Viscera Caucaseis dilanianda feris:
Nec mea garrulitas sacræ mala conscia mensæ,
In refugo meruit flumine ferre sitim.
Sacra fero, miranda cano, memoranda reuoluo,
Vt colat æternos impia turba deos.
Rursus vt ingrato superûm clementia mundo
Nota sit, & quisquis numina nouit, amet.
Ergo vbi siderei steteram prope limina templi,
Explicuit fuluas regia vasta fores.

En ſubitò duri me iudicis ante tribunal
Increpitans magno murmure turba trahit.
Raſus erat vertex, facies irata minάxque,
Et breuior triſti barba ſupercilio.
Omnibus vnus erat cinctus, color omnibus vnus,
Qui ſolet eſſe aſinis, anſeribúſque feris:
Qui color in ſalice eſt, & Pallados arbore, qualem
Hoſpita Threicij gurgitis ales habet.
Et niſi fluxa ſinus talos penderet ad imos,
Cercopithecorum penula veſtis erat.
Idem cinctus erat, cultus, vultúſque, colórque
Iudicis, & paribus frons caperata minis:
Vno aliis diſpar diſcrimine, quòd foret acri
Aut ſtimulo ſpinæ ſanguinolenta manus:
Aut rigida forſan minus obluctante puella,
Fœmineæ pàlmas cuſpide fixus acus.
Is quaſſans caput, & ſuffuſus lumina flamma,
Irato tales fudit ab ore ſonos.
Tún' (ait) in noſtros auſus blaterare ſodales,
Nil veritus caluos tot violare ſenes?
Prodere nec populo myſteria noſtra profano,
Sanctáque funereæ ſpernere iura togæ?
Lignipedes ridere patres, ſanctámque coronam,
Et mendicatos abſque pudore cibos?

Quid cum fratre soror clausa sine lumine cella,
Quid tyro imberbis cum seniore gerat?
Frustra pontifices cælo nos æqua potestas,
Frustra nos regum sceptra verenda timent:
Si tibi fas nostræ est impunè illudere sectæ,
Si plebs exemplo sollicitata tuo,
Rideat, exerta comitetur sannio lingua,
Pérque vias digito stulta iuuenta notet.
Vos, age, quid statis? sceleratò auferte lacernam,
Vt vitium linguæ cætera membra luant.
Nec mora, diripiunt fratres à pectore vestes,
Sectáque nodosa cannabe terga notant,
Alternántque vices, & acerbant verbera verbis,
Verba oculis, oculos nutibus atque minis.
Dum feriunt, numerant ad singula verbera diuos,
Grata foret cunctis ceu mea pœna deis.
Nec mea carnifices fratres lassant mala, quanuis
Deficerent diui, deficerétque dies:
Perdiderat rabiésque modum, plagæq; figuram,
Atque vnum in toto corpore vulnus erat.
Talis erat (si vera fides) Hieronymus olim,
Dum studium ob Tulli vapulat ante Deum:
Sic cute directa satyrum videre Celenæ,
Tibia quum blandæ est victa canore lyræ.

Vt primùm fari licuit, méque ipse recepi
Nudus, & in nuda sanguinolentus humo,
Clamabam, Nũc parce pater, nunc parcite fratres
Cæde mea sanctas conscelerare manus.
Parce pãter: sic ille sacer Seraphicus ordo
Floreat auspicijs sanctior vsque tuis:
Sic mendicantum genti turba inscia veri
Affluat, & nunquam credula desit anus:
Vestra nec incauto pateant mendacia vulgo,
Nec videat crassos plebs tunicata dolos:
Et noua sub patribus tyronum turba seueris
Inueniat quæstus ingenioſa nouos:
Seu malè lustratis manes exire sepulchris
Fingere, seu tacita somnia nocte libet:
Relligio nubes animis offundat agrestum,
Obiiciat tenebras sancta Lauerna suas.
Quæq́; vident oculi, se non vidisse reantur,
Déque fide facti sit dubitare nefas.
Quòd si fortè sacra lateat sub veste puella,
Quæ releuet longæ tædia lenta viæ:
Aut tenuet multa crassum farragine corpus,
Si caro spiritui quando rebellis erit:
Callida decipiant animos commenta profanos,
Et vetet vlterius quærere velle timor.

Fallat & incautos pietatis imago maritos,
Et capiat faciles ſitula tenta nurus:
Sic tibi, ſiquando iunges per ſtagna lacúſque
Cum ranis ſocias alitibúſque preces,
Nulla tuum ſuperet cornix vel rana canorem,
Oréve præcipitet mobiliore ſonos.
Siue tibi pulex fratérve pediculus obſit,
Et tenuem ſignet puſtula multa cutem,
Innocuos vngues vtriuſque à ſanguine ſerues,
Neu tibi cognata pollue cæde manus:
Sed tua fraterno pietas dignetur amore,
Vt ſolita eſt vulpes carniuorósque lupos:
Et quibus indulſit vitam Pater optimus idem,
Siue ferat tellus, ſeu ferat illa fretum,
Mortua tu comedes animalia: culpa profani
Sit populi, iis vitæ corripuiſſe moras.
Quæcunque in fratrum ſacram conuitia veſtem
Non verita eſt olim fundere lingua procax,
Cuncta recantabo, maledicta priora rependam
Laudibus, & fratrum nomen in aſtra feram.
VOBIS relligio eſt, ſincero aſſueſcere recto,
Relligio eſt Chriſti facta fidémque ſequi:
Raráque ſimplicitas, & rara modeſtia vobis,
Et virtus rara eſt, & probitatis honor:

Faſtus inauditus, nulláque libidine victum
Robur, nec duro fracta labore manus:
Claſsica nec placidos turbant Mauortia ſomnos,
Nil opus inſano verba locare foro:
Semina non aruo, non vitem credere ſulco,
Nec dare nubifero vela neceſſe Noto:
Sed veluti mures alieno parta labore
Carpitis, & vitam ducitis angelicam:
Vos chorus & cantus, nitidi vos floribus horti,
Cinctáque porticibus tecta ſuperba tenent:
Quicquid vbique labor per dura pericula quærit,
Quod clàm fur aufert, latro palámve rapit,
Vos penes eſt fructus, penes eſt vos vſus & eſus,
Ad dominos redeunt damna, pericla, dolor:
Copiáque & luxus vobis in paupere vita eſt,
Nil eſt, & ſuperant multa, nihílque deeſt.
Vos pro me miſero fratres orate, patrémque
Flectite, pro vobis ſic roget ille Deum:
Sic flectat. nos interea, (quod poſſumus vnum)
Facta recantatis ſplendida carminibus
Dicemus: teneræ nec furta ſileboiuuentæ,
Addita nec manibus ſtigmata nec pedibus.
Et quæ longa forent numeranti ſingula, at vnum
Non eſt fas numeris præteriſſe meis.
Fertè furens &c.

GEORGII BVCHA-
nani Scoti Elegiæ.

QVAM MISERA SIT CONditio docentium literas humaniores Lutetiæ.

ITE leues nugæ, steriléſque valete camœnæ,
Gratáque Phœbæo Caſtalis vnda choro.
Ite, ſat eſt: primos vobiſcum abſumpſimus annos,
Optima pars vitæ deperiítq; meæ.
Quærite quem capiat ieiuna cantus in vmbra:
Quærite qui pota carmina cantet aqua.
Dulcibus illecebris tenerum vos fallitis æuum,
Dum ſequitur blandæ carmen inerme lyræ.
Debita militiæ molli langueſcit in vmbra,
Et fluit ignauis fracta iuuenta ſonis.
Ante diem curuos ſenium graue contrahit artus,
Imminet ante ſuum mors properata diem:
Ora notat pallor, macies in corpore toto eſt,
Et tetrico in vultu mortis imago ſedet.
Otia dum captas, præceps in mille labores

Irruis, & curis angeris vsque nouis.
Nocte leues somnos resolutus compede fossor
Carpit, & in mediis nauta quiescit aquis:
Nocte leues somnos carpit defessus arator,
Nocte quies ventis Ionióque mari:
Nocte tibi nigræ fuligo bibenda lucernæ,
Si modò Calliopes castra sequenda putes.
Et tanquam Libyco seruies curuata metallo
Robora, & Herculea poma ferenda manu,
Peruigil in lucem lecta atque relecta reuolues,
Et putri excuties scripta sepulta situ.
Sæpe caput scalpes, & viuos roseris vngues,
Irata feries pulpita sæpe manu.
Hinc subitæ mortes, & spes prærepta senectæ:
Nec tibi fert Clio, nec tibi Phœbus opem.
Si caput in cubitum lassa ceruice recumbat,
Et sopor exiguus lumina fessa premat:
Ecce, vigil subitò quartam denuntiat horam,
Et tonitru horrifico lumina clausa quatit.
Excutit attonito somnos sonus æris acuti,
Admonet & molli membra leuare toro.
Vix siluit, iam quinta sonat: iam ianitor vrget
Cymbala, tyrones ad sua signa vocans.
Mox sequitur longa metuendus veste magister,

Ex humero læuo mantica terga premit.
Dextera crudeli in pueros armata flagello est,
Læua tenet magni fortè Maronis opus.
Iam sedet, & longis clamoribus ilia rumpit,
Excutit implicitos ingenióque locos.
Corrigit, & delet, mutat, vigilata labore
Promit, in obscuro quæ latuêre diu.
Magna, nec ingenijs æui explorata prioris,
Eruit, inuentas nec sibi celat opes.
Alter abest, petitúrq; alter, mercede parato
Qui vocet, & fictos condiat arte dolos.
Ille caret caligis, huic rupta calceus alter
Pelle hiat: ille dolet, scribit & ille domum.
Hinc virgæ strepitúsque sonant, fletúque rigãtur
Ora, inter lacrymas transigitúrque dies.
Dein nos sacra vocant, dein rursus lectio, rursus
Verbera: sumendo vix datur hora cibo.
Protinus amota sequitur noua lectio mensa,
Excipit hanc rursus altera cœna breuis.
Surgitur, in seram noctem labor improbus exit,
Ceu breuis ærumnis hora diurna foret.
Quid memorem interea fastidia mille laborum,
Quæ non ingenua mente ferenda putes?
Ecce tibi erronum plenas ex vrbe phalanges,

Terráque ferratis calcibus icta tremit.
Turba ruit, ſtolidáſque legentibus applicat aures,
Quales Phœbææ Phryx dedit antè lyræ.
Et queritur nullis onerari compita chartis,
Eſſe & Alexandrum nullo in honore ſuum:
Nec grauidum pleno turgeſcere margine librum,
Neglectúmque premi vile Guidonis opus.
Curritur ad mõtem magno cum murmure acutũ,
Aut alias ædes, ſicubi beta ſapit.
Quid referam quoties defenditur acer Oreſtes,
Carmina vel numeris quum caruere ſuis?
Arcadico iuueni quòd læua in parte mamillæ
Nil ſalit, iratus clamat vterque parens:
Conqueritur nullo labentia tempora fructu,
Tótque diu ſumptus deperiſſe ſuos.
AEſtimat & noſtros non æqua lance labores:
Temporis & nulla damna rependit ope.
Adde quòd Aonidum paupertas ſemper adhærẽs
It comes, & caſtris militat ipſa ſuis:
Siue canas acies in Turcica bella paratas,
Siue aptes tenui mollia verba lyræ:
Siue leui captas populi ſpectacula ſocco,
Turgidus aut tragico ſyrmate verris humum.
Deniq; quicquid agis, comes aſſidet improba egeſtas,

Siue poëma canis, siue poëma doces.
Bella gerunt vrbes septem de patria Homeri:
Nulla domus viuo, patria nulla fuit.
AEger, inops patrios deplorat Tityrus agros,
Statius instantem vix fugat arte famem.
Exul hyperboreum Naso proiectus ad axem,
Exilium Musis imputat ille suum.
Ipse deus vatum vaccas pauisse Pheræas
Creditur, AEmonios & numerasse greges.
Calliope longum cælebs cur vixit in æuum?
Nempe nihil doti quod numeraret, erat.
Interea celeri cursu delabitur ætas,
Et queritur duram tarda senecta famem:
Et dolet ignauus studijs lusisse iuuentam,
Iactáque in infidam semina mæret humum:
Nullâque maturis congesta viatica canis,
Nec faciles portus iam reperire ratem.
Ite igitur Musæ steriles, aliúmque ministrum
Quærite: nos aliò sors animúsque vocat.

MAIAE CALENDAE.

FESTA vocant, lætíſq; comes laſciuia feſtis,
Et chorus, & choreæ blandus amicus Amor.
Ludit & admiſſis leuis indulgentia frænis,
Et leuat aſſueto libera colla iugo.
Interea vigiles paulùm ſecedite curæ,
Et genitor curæ dure faceſſe labor.
Eſte procul lites, & amaræ iurgia linguæ,
Mixtáque flebilibus mœſta querela ſonis:
Dum renouat Maius ſenium reuolubilis æui,
Et tenerum verno pingit honore ſolum:
Dum cæli iuuenile decus, mundíque iuuenta
Per non ingratas ítque redítque vices,
Inq; recurrentes ſine fine reuertitur ortus,
Et nunquam feſſis ſecula luſtrat equis.
Hũc iocus, hunc tenera mẽſem cum matre Cupido
Vendicat, hunc riſus, & ſine felle ſales:
Hũc hilaris Genius, Genij & germana Voluptas,
Et pellucentes Gratia picta ſinus.
Ipſa ſuo Cypris præſens aſpirat honori,

Et recreat flamma splendidiore polum:
Ipsa nouos cultus, niueóque monilia collo
Induitur, Marti ceu placitura suo.
Lætus Amor iaculis Sicula fornace recoctis,
Splendida sanguinea spicula cote terit.
Has linit ambrosia, linit illas felle sagittas,
Et renouat flamma lucidiore faces.
Cernis vt Assyrios latè dea fragret odores,
Implicet & flauas verna corona comas?
Vt manus Eois radiet stellata smaragdis,
Vt fluat in nitidos aurea palla pedes?
Lustret vt intento choreas puer improbus arcu,
Vt tenera fundat spicula certa manu?
Vt face nunc iuuenes, face nunc petat ille puellas,
Asperáque inuicto fœdere corda domet?
Quâ dea progreditur, fragrant per compita flores,
Et media placidum frondet in vrbe nemus:
Quâ deus ingreditur, festi per compita plausus,
Et vox letitiæ testis in astra volat.
Applaudítque deæ stratis mare leniter vndis,
Lætáque lasciuis squamea turba choris.
Applaudúntque deo pueri, innuptæq; puellæ,
Quis rudis in vacuo pectore flamma calet.
Plaudit vtrique deo quicquid creat humidus aer,

Quicquid alit tellus, æquora quicquid alunt.
Rara procelloſæ fugiunt in vellera nubes,
Mollior arboreis ſibilat aura comis.
Purior auratis Pyrois ſplendeſcit habenis,
Phœbus ab æquoreis purior exit aquis.
Herba comis, tellus nitet herbis, frondibus arbor,
Luxuriat lætum læta per arua pecus.
Carcere liber equus ſpatiis laſciuit apertis,
Iactat & vndantes per fera colla iubas.
Tondet ouis pratum, petulãs ſalit agnus in herba,
Pro niuea taurus coniuge bella gerit.
Rupis inacceſſæ ſcandunt dumeta capellæ,
Hædus & infirma prælia fronte mouet.
Interea paſtor geniali ſtratus in vmbra
Diſcutit incomptis tædia lenta modis:
Nunc & odorata ſomnos inuitat in herba,
Nunc ſtrepitum captat prætereuntis aquæ:
Intentúſque ſedet liquidas piſcator ad vndas,
Dum tremulum fallax linea ſentit onus:
Forſan & eluſos quærit quibus inſtruat hamos,
Explicat aut cauta retia longa manu.
Pampinus appoſitæ complexus brachia ſyluæ,
Veſtit adoptiuis robora nuda comis.
Poma nemus pingunt, meditatur vinea botros,

Prouentu ſegetis diues inundat ager.
Tityrus in calathis tibi lilia Theſtyli cana
Seruat, & in calathis aurea mala ſuis,
Cúmque ſuis nidis Prognen, Prognéſque ſororem,
Et te cum nidis blanda columba tuis.
Garrula per virides ludunt examina ramos,
Et tenui ſyluas gutture mulcet auis.
Baſia Chaoniæ iungunt laſciua columbæ,
Ingemit extinctum tinnula mater Ityn.
Hanc iuuat ad nitidum pennas extendere ſolem,
Hæc querulam pleno conuolat ore domum:
Hæc luteum ſuſpendit opus, fugit illa per auras,
Et liquidas alis ſtringere gaudet aquas.
Ridet ager, rident ſyluæ, micat igneus axis,
Et placidum ſternit lenior aura fretum.
Hinc procul ergo abeant cruciantes pectora curæ,
Vanáque quærendæ ſollicitudo rei.
Pone ſupercilium capulo vicina ſenectus,
De tetrica rigidas excute fronte minas.
Vtq; nouus, poſito veteri ſqualore, ſenectæ
Pandit odoriferas fertilis annus opes:
Póſtq; pruinoſæ languentia frigora brumæ
Rura nouat veris floridioris honos:
Vos quoq; pauliſper placidos diffundite vultus,

Aſpera cum duris ponite iuſſa minis.
Carpite, dum fas eſt, fugitiuæ gaudia vitæ,
Credite vos iuuenes eſſe, fuiſſe ſenes.
Vt ſua munifico diffundit præmia vultu
Omniferos pandens Copia larga ſinus!
Vt vetat ignauæ reparans incommoda brumæ,
Turpia ſollicitæ damna timere famis!
Pandite ſepoſitas quas celant horrea fruges,
Parcáque congeſtas arca refundat opes.
Nec tenebris claudat generoſum cella Lyæum,
Quam dat arenoſo Vaſconis vua ſolo:
Qui, niſi depromis, acri langueſcit aceto,
Téque monet vitæ commoditate frui.
Vos quoque turba feri, pueris inuiſa, magiſtri,
Qui geritis dura lenta flagella manu,
Ponite difficiles in idonea tempora vultus,
Incutiant nullos verbera ſecta metus.
Parcite plagoſis ferulis virgæq; ſonoræ,
Nec ſcuticæ teneras lædat habena manus.
Candida nec mœſtis ſuffundite fletibus ora,
Nec fœdet niueam puſtula rupta cutem.
Pòſt ſua Pieriis ſuccedant otia muſis,
Largáque Caſtalius fœnora reddat ager.
Interea, iuuenes, molles celebrate choreas,

Et genium festis exhilarate iocis.
Læta fugent lites, ludis concedite luctus,
Pro rixa risus, crimine carmen eat.
Nec tetrici nuptas custodia dura mariti
Arceat, aut dura ianua clausa sera:
Sollicitæ timidas nec matris cura puellas
Cogat in obscura delituisse domo.
Pandite lacteolas (iussit Cytherea) papillas,
Excipiant flauas lactea colla comas.
Luceat igniferis Sidonia palla pyropis,
Pulchra verecundus purpuret ora pudor.
Hæc sunt militiæ Mauortia tela potentis,
Tela triumphatis imperiosa deis:
Tela, quibus fusis iuuenilis millia turbæ
Plurima quum pereant, plura perisse petunt.
Dum choreas ætas, dum blandi gratia veris,
Libera dum festus gaudia Maius habet,
Carpe rosas, & (ni carpas) peritura liguſtra,
Et vitæ credas hæc simulachra tuæ.
Horrifer vt boreas agri genialis honorem
Exuit, vt canas fundit in arua niues:
Frondibus vt spoliat syluas, vt floribus hortos,
Pigráque concretis flumina frænat aquis:
Sic tibi deformes mutabunt tempora cani,

Contrahet & vultus arida ruga tuos.
Pendebit laxata cutis, rubigine dentes
Squalebunt, oculos inficiétque rubor:
Mellea deficiet facundæ gratia linguæ,
Imminet en vitæ frigida bruma tuæ.
Dum nos ergo sinunt fata inuidiosa, senecta
Temporis vtatur vere iuuenta suo.

AD PTOLEMAEVM LVXIVM Tastæum, & Iacobum Teuium, quum articulari morbo laboraret, 1544.

O ANIMAE Tastæe meæ pars altera, túq,
Altera pars animæ Teui Iacobe meæ,
Scire iuuat quid agam? viuo modò, si modò viuit
Pondus iners, animæ corpus inane suæ.
Sed tamen ingratas ceu viui ducimus auras,
Et trahit exanimem languida vita moram.
Ignea vis febris rapido sic perfurit æstu,
Vt minus AEtnæi sæuiat ira rogi.

Torrida concretis lapidescunt viscera grumis,
Et latebras renum calculus vrit atrox:
Vt Cereris possint, vt Bacchi munera credi
Tacta Medusaeis obriguisse comis.
Sed tamen hæc nostri leuis est accessio morbi,
Et pars immensi vix numeranda mali.
Humor enim cunctos latè diffusus in artus,
Quâ iungunt flexus ossibus ossa suos,
Obsedit cæcas pigro marcore lacunas,
Cunctáque torpenti frigore membra ligat.
Ex humeris pendent sine robore brachia laxa,
Nec fluidum ceruix sustinet ægra caput:
Genua labant, & crura tremunt: lassíque recusant
Tam celeres nuper, me modò ferre pedes.
Sic ego defunctus iam viuo, mihíque superstes.
Et vitæ amisso munere, fata moror.
Quódque mihi superest fugitiuæ lucis, id omne
Diuidit in pœnas parca seuera meas.
Nam dum lenta coquit neruos pituita, cauísque
In latebris tabes viscida membra coquit,
Tunc ego felicem Tityum atque Promethea clamo,
Vna quibus tantùm viscera carpat auis.
Non ita distentis laxantur corpora neruis,
Quum petitur dubij criminis indicium:

Non ita vexatæ tenduntur vincula nauis,
Quum Notus insano miscuit astra freto.
Hic vbi desæuit, succedit calculus: illum
Protinus innascens acrior hydra subit.
Aut caua tinnitu demurmurat auris acuto,
Aut facit arentem febris anhela sitim:
Aut sensim illabens lentus pulmonibus humor,
Vexatum tussi quassat vtrunque latus.
Interea medicus decocti vligine ligni
Oppugnat lentam persequiturque luem.
Hic cibus, hic potus tenuatos recreat artus,
Et cum vicina prælia morte gerit.
At macie informi succum populante refugit
Et vigor & vultu qui fuit antè color.
Squalidus obsedit faciem situs, ossaque præbent
Membra per arentem dinumeranda cutem.
Et velut in speculo se lumina cernere nolint,
In latebras penitus retrò abiere suas.
Denique vos animis talem me fingite, quales
Ad tumulos manes credit adesse timor.
Qualia pinguntur miseris simulachra figuris
Terrificæ Mortis mortiferæq; Famis.
At neque Tastæus nec Teuius assidet, ore
Suauiloquo longum qui vetet esse diem:

Nec mihi delicias blandi facit oris Alanus,
Nec lepida alludit garrulitate Petrus:
Nec recreant animum doctis sermonibus ægrum
Cætera Vasconicæ turba diserta scholæ.
Sed nec amicitiæ mihi pectora cognita certæ
In medijs hîc me deseruere malis.
Sæpe mihi medicas Groscollius explicat herbas,
Et spe languentem consilióque iuuat:
Sæpe mihi Stephani solertia prouida Carli
Ad mala præsentem tristia portat opem.
Turnebus, Aonij rarissima gloria cœtus,
Officijs vacuum non sinit ire diem.
Cæteráque vt cessent, Gelidæ pia cura sodalis,
Et patris & patriæ sustinet vsque vicem.
Ista leuant animum quum tellus luce retecta est:
At quum sol vitreis præcipitatur aquis,
Ingeminant mœsto pallentes agmine curæ,
Fingit & in formas somnia mille sopor.
Illa mihi vestros per cæca silentia vultus,
Oráque per tenebras conspicienda ferunt.
Alloquiísque leuant animum fallacibus ægrum,
Et prohibent longas noctibus esse moras.
Sit licet hæc nimium leuis & fugitiua voluptas,
Dulce tamen charis sic quoque posse frui.

Fors & nocte istuc etiam me somnia portant,
Et statuor vestrum pallidus ante torum:
Et tenui fundens suspiria mœsta querela,
Commiseror vitæ fata sinistra meæ.
Hoc vetet illa mihi sors hactenus aspera, surda
Nec saltem hîc nostras abnuat aure preces.
Et vos obscuræ suauissima pignora noctis
Somnia, pennato concita turba gradu,
Efficite absentes dolor hic ne tangat amicos,
Solus & è nostris sim miser ipse malis.
Quòd si Parcarum non exorabile numen
Ruperit ante suum stamina nostra diem,
Sera mei fidos accedas fama sodales
Funeris, & longa quàm potè falle mora.
Et vos vnanimes lacrymis absistite amici,
Neu gemitu manes sollicitate meos.
Siquis erit sensus supera quid agatur in aula,
Libera quum vinclis corporis vmbra fugit,
Vester erit luctus nostræ quoq; lugubris vmbræ,
Nec mihi mors longi meta doloris erit.

AD

AD FRANCISCVM OLIVARIVM, Franciæ cancellarium.

SI pudor audaces sineret suus esse camœnas,
Et qui virginibus purpurat ora metus:
Omnis Aquitani properaret turba Lycæi,
Ante tuas supplex mane rubente fores.
Quod tamen ingenuus fari pudor impedit illas,
Promptus & in sexu debiliore rubor,
Vna iubet, teneris tibi cognita scilicet annis,
Pauca quidem hæc verbis nos memorare suis.
Penè suum redijt circumfluus annus ad ortum,
Et propè defessis Phœbus anhelat equis,
Ex quo pauperies inopes miserabilis vrget
Pieridas, iuueni numina nota tibi.
Si fera barbaries trepidos vastaret agrestes,
Et quateret bello mœnia durus Iber:
Publica priuatas lenirent damna querelas,
Iunctáque cum populi sollicitudo metu.
Nunc mala tempestas belli desæuijt, vrbes

Pax fouet, & pleno copia larga ſinu.
Rura quies ſecura colit, mercator inermis
Impauido tutas remige ſulcat aquas.
Cætera tranquillæ ſenſerunt commoda pacis,
Quum mala nos bellis aſperiora premant.
Quid modò ſqualentes turpi rubigine mores
Profuerit ſtudijs excoluiſſe bonis?
Quid modò barbariem iuuet expugnaſſe rebellẽ,
Inq; triumphato figere caſtra ſolo,
Si tamen incolumi Franciſco, & prole, ſecundum
Te quoque poſt regum ſceptra tenente locum,
Nos tenet obſeſſos miſerè crudelis egeſtas,
Nec ſinit Aonijs credere ſemen agris?
Hæc quoque non noſtræ pars eſt poſtrema querelæ,
Si tibi neglectæ deſtituamur ope:
Quũ tamẽ ad ſummos per nos ſis vectus honores,
(Ingenuo verum ſi licet ore loqui)
Quis neget inſontes tali ſub clade Camœnas,
Et non horrendi criminis eſſe reas?
Si nec, Oliuari, ſaltem tibi credita cauſa eſt
Noſtra patrocinij digna fauore tui:
Si mala non puris vitiemus pabula ſuccis,
Mixtáque cum liquidis toxica demus aquis.
Non petimus velum deprenſæ obtendere culpæ:

Plectantur pœnis crimina quæque suis.
Aut si per steriles comites frustremur arenas,
Non habeat faciles nostra querela deos.
Sed neque per steriles comites frustramur arenas,
Enecat iniectum nec sibi semen ager.
Conueniant quanuis Latiæ Francæq́ camœnæ,
Quáque colit vasto Teutonis ora solo,
Non sumus indecores Latijs Francísque camœnis,
Teutonis aut vasto quas colit ora solo.
Sin piget, & tanti non sunt commercia nostra,
Et nimio sumptu credimur esse graues:
Id quoque ne pigeat, citò spem præcidere vanam,
Vulnera nec lenta nostra fouere mora.
Hæc vbi spes aberit, vicinos altera Iberos,
Aut petet aurifero littora flaua Tago:
Aut modò pacatos trans æquora lata Britannos,
Aut iuga Sithonia semper operta niue.
Quælibet excipient Musas loca. nam neque deerit
Inter inhumanos hospita terra Getas.
Tu modò per siquid iuueni indulsere camœnæ,
Quum numeris aures detinuere tuas,
Aut ope præsenti miseras solare & egenas,
Aut saltem auxilij spem citò tolle tui.

GEORGII BVCHA-nani Scoti Syluæ.

AD CAROLVM V. IMP. BVRDEgalæ hospitio publico susceptum, nomine scholæ Burdegal. Anno 1539.

VASCONIDIS regnator aquæ generose Garumna,
Cui toties Latios fasces, totiésque curule
Fas ebur, & veteres, ingentia nomina, patres
Cæruleo excepisse sinu, non contigit vnquam
Hospitij tibi maior honos: licet vsque vetusti
Temporis æterno series repetatur ab æuo:
Roma atauos quanuis, magnæ licet æmula Romæ,
Proferat antiquos tellus Byzantia patres:
Ausoniæ regalis honos, decus orbis Iberi,
Carolus, Arctoi soboles Mauortia Rheni,
Vasconicã subit hospes humũ, quẽ publica poscũt
Vota orbis, famulas cui porrigit obuius vlnas
Albula, natiui quem tentat turbidus auri
Delicijs reuocare Tagus, quem iure paterno

Cærulei repetunt prima incunabula Rheni,
Cernere quem cupiunt gemino ſub ſole ſuperbi
Barbaricis ambo exuuijs, hinc Iſter, & illinc
Bragada, Marmaricæ lentus ſulcator arenæ.
Burdegalam tamẽ ille tuam, tua tecta, Garumna,
Ingens hoſpes init: tibi maieſtate remiſſa
Imperij decreſcit apex, tectóque minori
Cæſareus ſuccedit honos, priuata ſubire
Culmina dignantur Latij diademata regni.
Sic Hecale AEgiden, ſic te Tirynthia proles
Ceperunt rigidi mapalia nuda Molorchi:
Sic poſita quondam ſceptri grauitate peruſtos
Iuppiter AEthiopas canámque reuiſere Tethyn
Gaudet, & alternis interſerit otia curis.
Ergo hoſpes poſitíſque minis, ventíſque Garũna
Compoſitis, Borea non obluctante vel Auſtro,
Tranquillus mitíſque adſis, vultúque ſereno
Criſpentur tremulæ Zephyris felicibus vndæ.
Depoſitum tibi grande orbis, tibi publica vota,
Spémque ſuam credit, rectorem gentis Iberæ,
Auſoniæ dominum, Boreæ pugnacis alumnum,
Victorem Libycæ terræ, Scythiæq; timorem:
Quem colit occaſus, Boreas amat, vltimus horret
Ortus, & inſidi metuit ſolertia Mauri.

Cernis vt effractis popularia flumina clauſtris
Accurrant, properéntque tuis ſe iungere nymphæ
Fluctibus, oceanus refluis vt plenior vndis
Maiores conuoluat aquas: cupidæq; videndi
Nereides, Nereúſque pater, Tritónque canorus,
Et ſenior Glaucus, viridiſque examina Phorci
Diſcurſent tremula per ſtagna liquentia cauda?
Tu quoq; magnanimûm quãuis ſtirps Carole auo-
Magnanimis ſis maior auis, te Gallia quãuis (rũ,
Obuia ſollicitet, quanuis cunabula pandat
Rhenus, & Auſtriaci reuocent molimina ſceptri,
Burdegalæ exiguos ne dedignere penates
Hoſpitio ſancire tuo, quæ diſpare quanuis
Fortunæ ſplendore tuo, paruóque paratu
Te capit hoſpitio, ſtudio in te fortè fideli
Atq; animo, regum ingentes æquauerit aulas.
At famæ ſi danda fides, ſubiere minores
Numina ſæpe caſas, ac non ingrata voluntas
Hoſpitis, & magnum cepit mẽs grata Tonantem.
Obſequiis concede piis, concede fauori
Burdegalæ, totam tibi quæ cum ciuibus vrbem
Deuouet: vt ſeri poſſint meminiſſe nepotes
Quæ loca tu quõdam, quæ tecta impleueris ingens
Hoſpes, & externis veniens peregrinus ab oris,

Discere magnanimi cupiat vestigia Carli.
Si locus hîc supersit, inter si nomina tanta
Admittunt tenues communia gaudia Musas,
Versibus incultis Aquitanis turba Camœnis
Dedita te studiis patronum, & pacis adorat
Autorem: faciléque vias faciléque recursus
Exoptat, Pylios & quum superaueris annos,
Iam tibi promissam super aurea sidera vitam.

DESIDERIVM LVTETIAE.

O FORMOSA Amarylli, tuo iam septima bruma
Me procul aspectu, iam septima detinet æstas:
Sed neq; septima bruma niualib⁹ horrida nimbis,
Septima nec rapidis candens feruoribus æstas
Extinxit vigiles nostro sub pectore curas.
Tu mihi manè nouo carmen, dum roscida tondet
Arua pecus, medio tu carmen solis in æstu,
Et quũ iam longas præceps nox porrigit vmbras.

Nec mihi, quæ tenebris condit nox omnia, vultus
Est potis occultare tuos: te nocte sub atra
Alloquor, amplector, falsáque in imagine somni
Gaudia sollicitam palpant euanida mentem.
At quum somnus abit, curis cum luce renatis,
Tecta miser fugio, tanquam mihi tecta doloris
Semina subijciant, & solis mœstus in agris
Quà vagus error agit feror, & deserta querelis
Antra meis syluásque & conscia saxa fatigo.
Sola meos planctus Echo miserata gementi
Adgemit, & quoties suspiria pectore duco,
Hæc quoque vicino toties suspirat ab antro.
Sæpe super celsæ prærupta cacumina rupis
In mare prospiciens, spumantia cærula demens
Alloquor, & surdis iacto irrita vota procellis.
O mare, quæq; maris vitreas Nereides vndas
Finditis, in vestros placidæ me admittite portus:
Aut hoc si nimium est, nec naufragus ire recuso,
Dummodo dilectas teneam vel naufragus oras.
O quoties dixi Zephyris properantibus illuc,
Felices pulchram visuri Amaryllida venti,
Sic neque Pyrene duris in cotibus alas
Atterat, & vestros non rumpant nubila cursus,
Dicite vesanos Amaryllidi Daphnidos ignes.

O quoties Euro, leuibus quum raderet alis
AEquora, dicebam, Felix Amaryllide visa,
Dic mihi, Num meminit nostri? num mutua sētit
Vulnera? num veteris viuunt vestigia flammæ?
Ille ferox contrà rauco cum murmure strīdens,
Auolat irato similis: mihi frigore pectus
Congelat, exanimes torpor grauis alligat artus.
Nec me pastorum recreant solamina, nec me
Fistula, nympharúmque leues per prata choreæ,
Nec quæ capripedes modulantur carmina Panes:
Vna meos sic est prædata Amaryllis amores.
Et me tympana docta ciere canora Lyciſca,
Et me blanda Melænis amauit, Iberides ambæ,
Ambæ florentes annis, opibúsque superbæ.
Et mihi dotales centum cum matribus agnos
Ipsi promisere patres, mihi munera matres
Spondebāt clàm multa: meū nec munera pectus,
Nec niuei mouere suis cum matribus agni,
Nec quas blanditias teneræ dixere puellæ,
Nec quas delicias teneræ fecere puellæ.
Quantum ver hyemem, vietum puer integer æui,
Ter viduam thalamis virgo matura parentem,
Quàm superat Duriū Rhodanus, quàm Sequana Mundam,
Lenis Arar Sycorim, Ligeris formosus Iberum,

Francigenas inter Ligeris pulcherrimus amnes:
Tãtum omnes vincit nymphas Amaryllis Iberas.
Sæpe ſuos vultus ſpeculata Melænis in vnda
Compoſuit, pinxítq; oculos, finxítq; capillum,
Et voluit, ſimul & meruit formoſa videri.
Sæpe mihi dixit, Animi malè perdite Daphni,
Cur tibi longinquos libet inſanire furores?
Et quod ames dare noſtra poteſt tibi terra: racemos
Collige purpureos, & ſpes ne concipe lentas.
Sæpe choros feſtos me prætereunte Lyciſca
Cernere diſſimulans, vultúſque auerſa cane̅bat,
Hæc, pedibus terrã, & manibus caua tympana pul-
Et Nemeſis grauis ira, atq; irritabile nume̅, (ſans.
Et Nemeſis læſos etiam punitur amores.
Vidi ego dum leporem venator captat, echinum
Spernere, poſt vanos redeuntem deinde labores
Veſpere, nec retuliſſe domum leporem nec echinũ.
Vidi ego qui mulum peteret piſcator, & arctis
Retibus implicitam tincam ſpreuiſſet opimam,
Veſpere nec retuliſſe domum mulum neq; tincam.
Vidi ego qui calamos creſcentes ordine riſit
Paſtor arundineos, dum torno raſile buxum
Fruſtra amat, (interea calamos quos riſerat, alter
Paſtor habet) fragiles contentum inflare cicutas.

Sic ſolet immodicos Nemeſis contundere faſtus.
Hæc & plura Melænis, & hæc & plura Lyciſca
Cantabant ſurdas fruſtra mihi ſemper ad aures.
Sed canis antè lupas & taurus diliget vrſas,
Et vulpem lepores, & amabit dama leænas,
Quàm vel tympana docta ciere canora Lyciſca
Mutabit noſtros vel blanda Melænis amores.
Et prius æquoribus piſces & montibus vmbræ,
Et volucres deerunt ſyluis, & murmura ventis,
Quàm mihi diſcedent formoſæ Amaryllidos ignes,
Illa meum rudibus ſuccendit pectora flammis,
Finiet illa meos moriens morientis amores.

DESIDERIVM PTOLEMAEI Luxij Taſtæi.

VSQVE adeo patrij ſordet tibi ripa Garumnæ,
Pictones vt ſcopulos atq; horridateſqua frutetis
Durus ames? nec te ſociûm pecoríſque laríſq;
Cura tenet, nec quam ſocijs pecoríq; laríque

Prætuleras cui ſæpe roſas, cui ſæpe ſolebas
Pallida cum niueis vaccinia ferre liguſtris:
Quam tu ſideribus, quam tu componere ſoli
Auſus eras, cuius nitidis radiantia gemmis
Sola tibi purum fundebant lumina lumen.
Nũc tamẽ (heu nunquã cõſtãs in amore voluptas)
Tu procul hinc ſteriles rupes colis, immemor Agrÿ,
Vaſconicíque gregis, Nymphæq́ oblitus amatæ:
Forſitã & ſtupidas bona carmina perdis ad aures,
Interea noſtris paſtoria fiſtula ſyluis
Muta ſilet, mutæ pecudes, mutæq́ volucres:
Nec ſtrepit aſſueto Zephyri leuis aura ſuſurro.
Noctua ſucceſſit philomelæ, & acanthidi bubo,
Stryxq́ nocens pueris, & triſtis ad omina cornix,
Raucáque flumineæ recinunt conuitia ranæ.
Sicubi fauſta ſedet volucris, non gutture læto
Mulcet agros, non in tractus laſciua volatu
Emicat aërios, triſti ſed murmure mœſtum
Et lugubre ſonans ſedet in dumis deſertis
Abdita, turbatis deformis & horrida pennis.
Ipſe ego quum calamos mœſti ſolatia luctus
Sumere tentarem, crudúmque leuare dolorem
Carmine, vix primis admoram labra cicutis,
Siue fuit caſus, ſeu (quod magis auguror) omen,

Et mala quæ mentem nunquam præsagia fallunt,
Flebile rauciſonæ reſponſauêre cicutæ.
Ipſæ etiã in tumidis nymphæ Oceanitides vndis,
Ipſæ etiã in placidis nymphæ Dardonides antris,
Ipſi etiam montes, ipſæ etiam conualles
Auditæ longas per noctem iterare querelas.
Sed neq; te tantum, (quanquam te flumina lugẽt)
Nec tantum nymphæ, ſyluæ, volucréſq; feræq;,
Quantum te in ſolis ſolus gemit Agrius antris.
Illum ego congreſsúſq; hominum & cõſortia tecta
Vitantem, tacitæ per muta ſilentia ſyluæ
Dum ſequor, & voces capto, & veſtigia ſeruo,
Hæc memini mœſta conuitia fundere lingua:
Pictones ô ſcopuli, & nudis imperuia ſaxis
Culmina, & exiguæ malè pinguia culta Crotellæ,
Quæq; paris raras tantùm ſylua horrida glandes,
Ah quibus infames magicis in collibus herbas
Gignitis? AEæi quæ vis occulta veneni
Hinc procul in veſtris Ptolemæum detinet oris?
Certè ibi purpureis non lotos aquatica baccis,
Quæ tenuit ſocios tardè redeuntis Vlyſſei,
Non Cereri luſtratus ager, non commoda bubus
Paſcua, non virides generoſo palmite colles,
Qualia Vaſconicæ felicia iugera glebæ.

Cæteráq; vt conſtent, nõ quæ dedit vbera primùm
Hîc genitrix, non quod tua primùm infantia cælũ
Hauſit, & infirmis pulſus vagitibus aër,
Reptatúmq; ſolum puero: non falce notata
Sylua ſub hirſuto ſeruat tua carmina libro,
Carmina nequicquam memorẽ ſpondentia mẽtẽ.
Quid tamẽ hoc prodeſt, patrij quòd ripa Garũnæ
Et virides frondes & amœnã in frõdibus vmbrã
Prima tibi dederit, ſi tu non tangeris iſtis?
At te ſi capiunt inamœno robore colles,
Quódq; per incultas areſcit gramen arenas,
Raráq; quæ canis languet vindemia ſaxis,
Ipſe ſuas vites, ſua pinguia culta Garumna
Oderit, & nulla redimitus arundine frontem
In mare per ſteriles lentè prorepet arenas.
Quid precer ô ſyluæ vobis, quid ſaxa, quid vndæ?
Quid campis precer, & pecori pecoríſq; magiſtris,
Quos mihi, quos patriæ Ptolemæus prætulit oræ?
Sylua neget glandes, & Bacchi munera colles,
Torreat arua ſitis, ſcabies pecus, atra magiſtros
Peſtis & inſani perimant contagia morbi,
Soſpite Taſtæo patriæq; mihíque ſibíque,
Immemor vt viſat memores inuitus amicos.
Hei mihi? quid ſyluæ et campi meruere? qd vndæ?

Quid pecus, & pecoris quid cõmeruêre magistri?
Hæc ego deuoueam patrijs quæ prætulit aruis
Pascua Tastæus? piget, & mea vota retracto,
Rursus & iratæ linguæ maledicta recanto.
Glande nemus, fœtu pecus, vua vitis abundet,
Puráque perspicuis manet de fontibus vnda:
Pabula dent campi, sylvæ pastoribus vmbras,
Sub quibus arguta carmen modulentur auena.
Quæ te cunque tenet tellus, quæcunque tenebit,
Siue per æstiferas Libyæ sitientis arenas
Pastor ages pecudes, Boreæ seu iuncta niuali
Rura coles, Libycum Boreas riget imbribus axem,
Et rigor Arctous tepido miteſcat ab Austro:
Et quacunque feres gressus, tibi balsama sudet
Quercus, mella rubis, tribulíſq; legatur amomum.
Dum neq; terra ferax mellis, neque diues amomo
Esse tibi patrio videatur amicior aruo.
Me miserum! quid vana queror? procul ille remotis
Saltibus externos forsan suspirat amores.
At vos ô venti, túque ô pulsata querelis
Aura meis toties, & amari conscia luctus,
Partem aliquam duras Ptolemæi perfer ad aures.
Ille licet scopulis (quod non puto) durior ipsis
Fiat, & antiqui (quod nolim) oblitus amici,

Quum tamen audierit gemitus, moturáque rupes
Verba mei luctus, noſtro ingemet ille dolori,
Dicet &, Hic noſtræ fuit admirator auenæ.
Plura loquuturo vultum ſub nube recondēs
Triſtior occiduas Phœbus deſcendit in vndas.

GENETHLIACON IACOBI ſexti regis Scotorum.

CRESCE puer, patriæ auſpiciis felicibus orte,
Expectate puer, cui vatum oracla priorum
Aurea compoſitis promittunt ſecula bellis:
Túque peregrinis toties pulſata procellis,
Penè tuo toties exciſa Britannia ferro,
Exere læta caput, cohibe pacalis oliuæ
Fronde comam: repara flammis fœdata, ruinis
Conuulſa, & pulſo cote ſqualida tecta colono.
Pone metum, æternam ſpondent tibi ſidera pacem.
Iam neq; Saxonidæ Scotos, nec Saxona Scotus
Infeſtus premet, & cognato ſanguine ferrum
Polluet, & miſeras prædando exhauriet vrbes.

Sed

Sed quibus antè feri tractabant arma Gradiui,
Iam dehinc pacatis coniungent fœdera dextris.
Vos quoque felices felici prole parentes,
Iam tenerum teneris puerum consuescite ab annis
Iustitiæ: sanctúmq; bibat virtutis amorem
Cum lacte: & primis pietas comes addita cunis,
Conformétq; animũ, & pariter cũ corpore crescat.
Non ita conuersi puppis moderamine claui
Flectitur, vt populi pendent à principe mores.
Non carcer, legúmque minæ, toruæq; secures
Sic animos terrent trepidos formidine pœnæ,
Vt veræ virtutis honos, moréque modesti
Regis, & innocui decus & reuerentia sceptri,
Conuertunt mentes ad honesta exempla sequaces.
Sic vbi de patrio rediuiuus funere phœnix
Auroræ ad populos redit, & cunabula secum
Ipse sua, & cineres patris, inferiáque decoris
Fert humeris, quacunque citis adremigat alis,
Indigenæ comitantur aues, celebrántque canoro
Agmine. non illas species incognita tantum,
Aut picturatæ capiunt spectacula pennæ,
Quàm pietas, pietas etiam intellecta volucrum
Sensibus. vsqueadeo recti natura per omnes
Diffudit rerum viuacia semina partes.

Sic in regem oculos populus defigit: & vnum
Admirantur, amant, imitantur, séque suósque
Ex hoc, ceu speculo, tentant effingere mores.
Quod non sanguinei metuenda potentia ferri
Exprimet, & nitido florentes ære phalanges,
Hoc præstabit amor. certat cum principe vulgus
Officiis, & amat, quum se deprendit amari:
Et domino seruit, quia non seruire necesse est.
Quáſq; bonus prīceps laxat spōte, arctat habenas,
Deposcítque iugum quod vi cogente metúque
Reiecturus erat. contrà indulgentior ille
Réxque patérque suis adimit, subit ipse labores,
Quæq; iubet, primus præit, & legum aspera iussa
Mollia parendo facit: erratísque suorum
Parcere non durus, sibi inexorabilis vni.
Ille nec in cultu superet, mensáque domóque,
Quem posuit natura modum: nec more ferarum
In Venerem præceps, sed certo fine pudoris
Casta colat sancti genialia fœdera lecti.
Quis bombyce ausit cultus fœdare viriles,
Si ferat indigenam maiestas regia vestem?
Quis de lege tori, tanquam sit dura, queratur,
Quum teneat regem? cui non temulentia turpis,
Principe sub sicco? patrios quis frangere mores

Audeat, ignauóq; animum corrumpere luxu,
Ipse voluptatum quũ princeps fræna coercet,
Et nimium lætam vitiorum comprimat herbam?
Talem Romulidæ tranquilla pace fruentem
Sacrificum videre Numam, Solomonta potentem
Palmifer Euphrates. non illis lethifer ensis,
Non bellator equus firmauit regna, nec axis
Falcifer, aut densis legio conserta maniplis:
Sed pietatis amor, sed nulli noxia virtus,
Fretáque præsidio maiestas iuris inermi.
At qui gemmiferos victor penetrauit ad Indos
Dux Macedũm, quiq; Ausoniam tenuere superbo
Imperio reges, aut ferro aut tabe veneni
Effudêre animas, & cædem cæde piarunt.
Scilicet humano generi natura benigni
Nil dedit, aut tribuet moderato principe maius,
In quo vera Dei viuénsque elucet imago.
Hanc seu rex vitiis contaminet ipse pudendis,
Siue alius ferro violet vel fraude, seueras
Sacrilego Deus ipse petet de sanguine pœnas,
Cõemptúmq; sui simulachri haud linquet inultũ.
Sic Nero crudelis, sic Flauius vltimus, & qui
Imperio Siculas vrbes tenuêre superbo,
Effigiem fœdare Dei existialibus ausi

Flagitiis, ipsa periere à stirpe recisi.
Sic qui se iusti macularunt sanguine Seruii,
Et qui legitimos ferro flammáque petiuit
Rectores patriæ Catilina nefarius, acti
Infurias, misero vix tandem funere vitam
Inuisam posuêre, ignominiáque perenni
Fœdauere suam ventura in secula gentem.
Hæc tener addiscat, maturo exerceat æuo,
Et regnare putet multo se latius, oræ
Hesperiæ fuscos quàm si coniunxerit Indos,
Si poterit rex esse sui, rex esse suorum.

FRANCISCI VALESII ET Mariæ Stuartæ, regum Franciæ & Scotiæ, epithalamium.

VNDE repentino fremuerunt viscera motu?
Cur Phœbum desueta pati præcordia anhelus
Feruor agit, mutæq; diu Parnassidos vmbræ

Turba iterum arcanis renouat pæana ſub antris?
Nuper enim (memini) ſqualebat marcida laurus,
Muta chelys, triſtis Phœbus, citharæq́, repertor
Arcas: & ad ſurdas fundebam vota ſorores:
Nunc Phœbi delubra patent, nunc Delphica rupes
Panditur, & ſacro cortina remugit ab antro.
Nunc lauro meliore comas innexa ſororum
Turba venit, nunc Aoniæ non inuida lymphæ
Irrigat æternos Pimplei ruris honores,
Lætáque Pieriæ reuireſcit gloria ſyluæ.
Fallimur? an nitidæ tibi ſe Franciſce camœnæ
Exornant? tibi ſerta parant, tibi flore recenti
Templa nouant? mutúmque diu formidine Martis
Gaudent inſolitis celebrare Helicona choreis?
Scilicet haud alius nemoris decerpere fructus
Dignior Aonij, ſeu quem numerare triumphos
Fortè iuuat patrios, ſeu conſecrata Camœnis
Otia. ſic certè eſt. hinc læto compita plauſu
Cuncta fremunt, legúmque exuta licentia frenos
Ludit. Hymen, Hymenæus adeſt: lux illa pudicis
Exoptata diu votis, lux aurea venit,
Venit. habes tandem toties quod mente petiſti,
O decus Hectoridûm iuuenis. iam pone querelas:
Deſine ſpes nimium lentas, iam deſine longas

Incusare moras, dum tardum signifer annum
Torqueat, ignauos peragat dum Cynthia menses.
Grande morae pretium fers: quod si prisca tulissent
Secula, non raptos flesset Menelaus amores,
Et sine vi, sine cæde Phrygum, Cytherea probatæ
Soluere Priamidæ potuisset præmia formæ.
Digna quidem facies quã vel trans æquoris æstus
Classe Paris rapiat, vel coniurata reposcat
Græcia. nec minus est animi tibi, nec minor ardor
Quàm Phrygio Graióve duci, si postulet arma
Coniugij tutela tui. sed mitior in te
Et Venus, & teneri fuit indulgentia nati:
Qui quod ames tribuêre domi. puerilibus annis
Cœptus amor tecum creuit, quantúmq; iuuentæ
Viribus accessit, tanto se flamma per artus
Acrius insinuans tenerum pascebat amorem.
Non tibi cura fuit quæ sæpius anxia regum
Pectora sollicitat, longinquæ obnoxia flammæ:
Nec metus is torsit, veri prænuntia fama
Ne vero maiora ferat, dum secula prisca
Eleuat, & primum formæ tibi spondet honorem:
Cera nec in varias docilis transire figuras
Suspendit trepidam dubia formidine mentem.
Nec tua commisti tacitis suspiria chartis,

Rumoríſque vagam timuiſti pallidus vmbram.
Ipſe tibi explorator eras formæq́; probator,
Et morum teſtis. nec conciliauit amorem
Hunc tibi luxuries, legum indignata teneri
Imperio, aut primis temerarius ardor ab annis:
Sed ſexu virtus, annis prudentia maior,
Et decori pudor, & coniuncta modeſtia ſceptris,
Atque hæc cuncta ligans arcano gratia nexu.
Spes igitur dubiæ, lentæq́; faceſſite curæ:
Ipſe tuis oculis tua vota tuere probáſque:
Speratóſque leges ſine ſollicitudine fructus,
Nulláque fallacis deluſus imagine ſomni
Irrita mendaci facies conuitia nocti.
Expectatus Hymen iam iunget fœdere dextras,
Mox etiam amplecti, mox & geminare licebit
Baſia, mox etiam non tantùm baſia. ſed tu,
Quamlibet approperes, animo moderare: beatum
Nobiſcum partire diem, tu gaudia noctis
Solus tota feres. quanquam neque gaudia noctis
Solus tota feres: & nos communiter æquum eſt
Lætitiam gaudere tuam. communia vota
Fecimus, & ſacras pariter placauimus aras,
Miſcuimúſque preces: & ſpéſq; metúſque tuóſque
Senſimus affectus: ægrè tecum hauſimus vnà

Tædia longa moræ: ſuperi nunc plena ſecundi
Gaudia quum referant, ſenſus peruenit ad omnes
Lætitiæ, mentémque ciens renouata voluptas
Creſcit, & exultant trepidis præcordia fibris.
Qualis vbi Eois Phœbus caput extulit vndis
Purus, & auratum non turbidus extulit axem,
Cuſpide iucundæ lucis percuſſa renident
Arua, micat tremulo criſpatus lumine pontus,
Lenibus aſpirat flabris innubilus aer,
Blanda ſerenati ridet clementia cæli:
At ſi nubiferos effuderit AEolus Auſtros,
Et pluuiis grauidam cælo ſubtexuit vmbram,
Mœſta horret rerum facies, deformia lugent
Arua, tument fluctus, campis grauis incubat aer,
Torpet & obductum picea caligine cælum:
Sic ex te populus ſuſpenſus gaudia, curas,
Mœroréſque trahit: roſea nec ſola iuuenta
Florida, nec ſpatiis quæ te propioribus ætas
Inſequitur, genio indulgent, vultúque ſoluto
Luſibus exhilarant aptos iuuenilibus annos:
Hunc poſita vultus grauitate ſeuerior ætas
Lætatur celebrare diem, matréſque verendæ
Non tacito hunc, tacitóque optat virgũcula voto.
Quid loquar humanas admittere gaudia mentes?

Ipſa parens rerum totos renouata per artus
Geſtit, & in veſtros penitus conſpirat honores.
Aſpice iam primùm radiati luminis orbem
Semper inexhauſto luſtrantem lampade terras,
Vt niteat, blanda vt flagrantes mitiget ignes
Temperie: vt cupidos ſpectacula veſtra tueri
Purpureo vultus maturior exerat ortu,
Serius occiduas currus demittat in vndas,
Vt gelidas repetens flamma propiore triones,
Contrahat æſtiuas anguſta luce tenebras.
Ipſa etiam tellus virides renouatur amictus,
Et modò pampineas meditatur collibus vmbras,
Et modò meſſe agros, modò pingit floribus hortos:
Horrida nec tenero ceſſant manſueſcere fœtu
Teſqua, nec armati ſpina ſua brachia vepres,
Nec curuare feros pomis auiaria ramos.
Iné omnes frugum facies bona Copia cornu
Soluit, & omniferum beat indulgentior annum,
Pignoris hoc ſpondens felices omine tædas.
Fortunati ambo, & felici tempore nati,
Et thalamis iuncti: veſtram concordia mundi
Spem fouet, aſpirat votis, indulget honori:
Atque vtinam nullis vnquam labefacta querelis
Coniugium hoc canos concordia ſeruet in annos.

Et mihi ni vano fallax præcordia Phœbus
Impulit augurio, quem iungit ſanguinis ortus,
Et commune genus proauûm, ſeriéque perenni
Fœdus amicitiæ ſolidum, quem more vetuſto
Sancta verendarum committunt fœdera legum,
Nulla dies vnquam veſtrum diuellet amorem.
Vos quoque felici lucent quibus omine tædæ,
Quò ſtudium populíq; fauor, quò publica regni
Vota precéſque vocant, alacres accedite: túque
Tu prior ô reges non ementite parentes,
Hectoride iuuenis tota complectere mente
Quam dedit vxorem tibi lex, natura ſororem,
Parentem imperio ſexus, dominámq; voluntas,
Quam ſociam vitæ tibi coniunxere parentes,
Et genus, & virtus, & forma, & nubilis ætas,
Et promiſſa fides, & qui tot vincula nectens
Firmius arctat amor totidem per vincula nexus.
Si tibi communi aſſenſu connubia diuæ
Annuerent, Paris vmbroſa quas vidit in Ida,
Permittántque tuo ſocias tibi iungere tædas
Arbitrio, quid iam, voti licet improbus, optes
Amplius? eximiæ delectat gratia formæ.
Aſpice quantus honos frontis, quæ gratia blandis
Interfuſa genis, quàm mitis flamma decoris

Fulguret ex oculis, quàm conſpirarit amico
Fœdere cum tenera grauitas matura iuuenta,
Lenis & auguſta cum maieſtate venuſtas.
Pectora nec formæ cedunt exercita curis
Palladijs, & Pierias exculta per artes
Tranquillant placidos ſophia ſub iudice mores.
Si ſeries generis longúſque propaginis ordo
Quæritur, hæc vna centum de ſtirpe nepotes
Sceptriferos numerare poteſt, hæc regia ſola eſt
Quæ bis dena ſuis includat ſecula faſtis:
Vnica vicinis toties pulſata procellis,
Externi immunis domini, quodcunque vetuſtum
Gentibus in reliquis vel narrat fama, vel audet
Fabula, longæuis vel credunt ſecula faſtis,
Huc compone, nouum eſt. Ampla ſi dote moueris,
Accipe dotales Mauortia pectora Scotos.
Nec tibi frugiferæ memorabo hîc iugera glebæ,
Aut æris grauidos & plumbi pondere ſulcos,
Et nitidos auro montes, ferróque rigentes,
Déque metalliferis manantia flumina venis,
Quæq; beant alias communia commoda gentes.
Hæc vulgus miretur iners, quíque omnia ſpernũt
Præter opes, quibus aßiduè ſitis acris habendi
Tabifico oblimat præcordia craſſa veneno.

Illa pharetratis est propria gloria Scotis,
Cingere venatu saltus, superare natando
Flumina, ferre famem, cõtemnere frigora & æstus.
Nec fossa & muris patriam, sed marte tueri,
Et spreta incolumem vita defendere famam:
Polliciti seruare fidem, sanctúmque vereri
Numen amicitiæ, mores, non munus amare.
Artibus his, totũ fremerent quum bella per orbem,
Nullâque non leges tellus mutaret auitas,
Externo subiecta iugo, gens vna vetustis
Sedibus antiqua sub libertate resedit.
Substitit hîc Gothi furor, hîc grauis impetus hæsit
Saxonis, hîc Cimber, superato Saxone, & acri
Perdomito Neuster Cimbro. Si voluere priscos
Non piget annales, hîc & victoria fixit
Præcipitem Romana gradũ: quẽ non grauis Auster
Reppulit, incultis non squalens Parthia campis,
Non æstu Meroë, non frigore Rhenus & Albis
Tardauit, Latium remorata est Scotia cursum.
Soláq; gẽs mũdi est, cum qua non culmine mõtis,
Non rapidi ripis amnis, non obijce syluæ,
Non vasti spatijs campi Romana potestas,
Sed muris fossáque sui confinia regni
Muniuit: gentésque alias quum pelleret armis.

Sedibus, aut victas vilem seruaret in vsum
Seruitij, hîc, contenta suos defendere fines,
Roma securigeris prætendit mœnia Scotis,
Hîc spe progressus posita Carronis ad vndam
Terminus Ausonii signat diuortia regni.
Néve putes duri studijs assueta Gradiui
Pectora mansuetas nõ emollescere ad artes, (orbẽ,
Hæc quoq;, quum Latium quateret Mars barbarus
Sola propè expulsis fuit hospita terra Camœnis.
Hinc sophiæ Graiæ, sophiæ decreta Latinæ
Doctorésque rudis formatorésque iuuentæ
Carolus ad Celtas traduxit: Carolus idem
Qui Francis Latios fasces trabeámque Quirini
Ferre dedit Francis, coniunxit fœdere Scotos,
Fœdere quod neque Mars ferro, nec turbida possit
Soluere seditio, aut dominandi insana cupido,
Nec series æui, nec vis vlla altera, præter
Sanctius & vinclis fœdus propioribus arctans.
Tu licet ex illa numeres ætate triumphos,
Et coniuratum cunctis è partibus orbem
Nominis ad Franci exitium, sine milite Scoto
Nulla vnquam Francis fulcit victoria castris,
Nulla vnquã Hectoridæs sine Scoto sãguine cladẽs
Sæuior oppressit: tulit hæc communiter omnes

Fortunæ gens vna vices. Francíſque minantes
Sæpe in ſe vertit gladios. ſcit belliger Anglus,
Scit ferus hoc Batauus: teſtis Phaëthontias vnda,
Nec ſemel infauſtis repetita Neapolis armis
Hanc tibi dat coniux dotem, tot ſecula fidam,
Coniunctámque tuis ſociali fœdere gentem,
Auſpicium felix thalamis concordibus, armis
Indomitos populos per tot diſcrimina, felix
Auſpicium bellis venturæque omina palmæ.
At tu coniugio nymphe dignata ſuperbo,
Te licet & Iuno, & bellis metuenda virago,
Et Venus & Charitum larga indulgentia certet
Muneribus decorare ſuis, licet ille ſecundus
Spe votíſque hominum Frăcæ moderator habenæ,
Et ſolo genitore minor, tibi regia ſceptra
Submittat, blando & dominam te prædicet ore,
Sexum agnoſce tamẽ, dominæq; immunis habena
Hactenus imperio iam nunc aſſueſce iugali.
Diſce iugum, ſed cum dilecto coniuge, ferre:
Diſce pati imperium, victrix patiendo futura.
Aſpicis oceanum ſaxa indignatus vt vndis
Verberet, & cautes tumida circunfremat ira:
Rupibus incurſat, demolitúrque procellis
Fundamenta terens, ſcopulíſque aſſultat adeſis:

Aſt vbi ſe tellus molli ſubſtrauit arena,
Hoſpitióque deum blandè inuitauit amœno,
Ipſe domat vires, placidúſque & ſe minor ire
In thalamos gaudet non toruo turbidus ore,
Non ſpumis fremitúque minax, ſed fronte ſerena
Littus inoffenſum lambit, ſenſimq; relabens
Arrepit facilis cerni, & ceu mollia captet
Oſcula, ludentes in littore lubricat vndas.
Cernis vt infirmis hedera enitatur in altum
Frondibus, & molli ſerpens in robora flexu,
Paulatim inſinuet ſeſe, & complexibus hærens
Emicet, & mediis pariter caput inſerat aſtris.
Flectitur obſequio rigor, obſequióque paratur,
Et retinetur amor. Neu te iactura relictæ
Sollicitet patriæ, deſideriúmque parentis:
Hæc quoq; terra tibi patria eſt, hîc ſtirpe propinqui,
Hîc generis pars magna tui, multóſque per annos
Fortunatorum ſeries longiſſima regum,
Vnde genus ducis, rerum moderatur habenas.
Quoquò oculos vertes, quoquò veſtigia flectes,
Cognatis pars nulla vacat: locus exhibet omnis
Aut generis ſocios, aut faſtis inclyta gentis
Oſtentat monumẽta tuæ. Iam vt cætera mittam,
Hîc te qui cunctis meritò præponderat vnus,

Expectat longè pulcherrimus Hectoridarum,
Penè tibi stirpis communis origine frater:
Mox etiam fratrem quod vincat amore futurus,
Et matrẽ, & quicquid consanguinitate verendũ
Lex facit, &, legum quàm iussa valentior vlla,
Naturæ arcanos pulsans reuerentia sensus.
Hîc quoque (ni iustis obsistent numina votis,
Falsáque credulitas frustra spem nutrit inanem)
Filius ore patrem referens, & filia matrem
Sanguine communi vinclum communis amoris
Firmabunt, breuibúsq; amplexi colla lacertis
Discutient blando curarum nubila risu.
Hunc vitæ mihi fata modum concedite, donec
Iuncta Caledoniæ tot seclis Gallia genti
Officiis pactísque, & legum compede, fratrum
Subdita dehinc sceptris, animo coalescat: & vndis
Quos mare, quos vastis cælum spatiísq; sólumque
Diuidit, hos populum concordia nectat in vnum,
AEquæua æternis cæli concordia flammis.

DEPL.

DEPLORATIO STATVS rei Gallicæ, sub mortem Francisci secundi regis.

O DEA quæ nimiis succeßibus inuida, fastus
Spésque premis tumidas, si Gallia forte secundis
Non moderata animum rebus, si prodiga linguæ,
Improba si voti tua numina læserit, iræ
Pone modum, & feßis propius bona consule rebus.
Quicquid enim pœnæ meruit vel noxa vel error,
Cladibus eluimus. quos non infecimus amnes
Sanguine? naufragiis mare teximus, oßibus agros.
Oppida quot spoliata! suis viduata colonis
Rura quot, incultis horrent squalentia dumis!
Pax quoque non fido vultum fucata veneno
Sæuior incubuit bello. Dum thura litamus
Ignibus, & superis læti instauramus honores,
Ipse gubernator fortunæ victima ad aram
Immatura suo turbauit gaudia luctu,
Concußítque vna pariter labefacta ruina
Omnia: finito vix tandem eluximus anno:

Iam lacrymæ rediere nouæ: cumulata feruntur
Funera funeribus, & clades clade: nouóque
Vulnere crudescit pro pè iam coitura cicatrix.
Ipsa etiam tetro Discordia fœta veneno,
His maius meditata nefas, de sede silentum
Euocat infernas supera ad conuexa sorores,
Iné animos odij fundens mala semina & iræ,
Et procerum mentes priuata ad cõmoda torquens,
In commune vetat socias extendere curas.
Quæ iam dedecoris, quæ dãni exempla superfunt?
Quæ non pertulimus, vel mox ventura timemus?
Cladibus infestos etiam satiauimus hostes,
Inuidiæ arbitrio pœnas expendimus: ista
Sint satis erroris culpæve piacula nostræ.
Accipite hæc superi, fractæ seriéque malorum
Assidua afflictæ faciles succurrite genti,
Iné feros belli clades conuertite Turcas.

DE EQVO ELOGIVM.

CAETERA rerum opifex animalia finxit ad vsus
Quæque suos, equus ad cunctos se accommodat vnus:

Plaustra trahit, fert clitellas, fert esseda, terram
Vomere proscindit: dominum fert, siue natatu
Flumina, seu fossam saltu, seu vincere cursu
Est salebras opus, aut canibus circundare saltus,
Aut molles glomerare gradus, aut flectere gyros,
Libera seu vacuis ludat lasciuia campis.
Quòd si bella vocent, tremulos vigor acer in artus
It domino, & socias vomit ore & naribus iras,
Vulneribúsq; offert generosum pectus, & vnà
Gaudia mœrorem sumit ponítque vicissim
Cum domino: sortem sic officiosus in omnem,
Vt veteres nobis tam certo fœdere iunctum
Crediderint mixta coalescere posse figura,
Inq; Pelethroniis Centauros edere syluis.

GEORGII BVCHAnani Hendecasyllabi.

IN GELLIAM.

QVVM conchis grauis æquoris Britanni,
Et rubri maris Indicíque onusta
Incedis spoliis, nitésque Serum
Molli stamine: mille quum venenis,
Fuco, polline, lacte, purpurissa,
Cerussa, marathro, æsypo, ordeóque,
Oris Gorgona nudam adulterasti,
Orbémque ad speculi diu refinxti,
Quum tectoria coaluere prima,
Crusta quum patitur coacta solem:
Prodis Gellia ceu recèns Promethei
In fornace recocta, flagitásque
Ecquid tum videare: Picta bellé.

IN PANTOLABVM.

DICVNT grammatici suos cucullos,
Dicunt rhetores & suos cucullos.

Sic olim in ſatyris cucullum Aquinas
Et durum & venetum poëta dixit:
Et quiſquis Latias ſemel camœnas
Vel primis modò contigit labellis:
Verùm Pantolabus, ſeuerus ille
Franciſcanus, & horridus ſophiſta, &
Clamoſæ ſophiæ ſenex magiſter,
Dicit perpetuò ſuam cucullam,
Laudat perpetuò ſacram cucullam:
Per ſacram quoque deierat cucullam,
Per ſacram quoque peierat cucullam:
Suóſque edocuit cuculliones
Sacra ſpem ſibi ponere in cuculla.
Prudens id facit ille (ne quid erres)
Non lapſu temerario loquendi,
Nec quòd ſic genus ille fœmininum
Ardet iam miſer impotente amore,
Caluo vertice, languidóque pene:
Sed quòd religioſa res ſit illi,
Quum deeſt fœmina maſculis abuti.

IN EVNDEM.

SI quis iam tremula piger ſenecta,
Morbo, aut vulnere languidus recumbit,
Statim Pantolabus ſagax odorem

Sentit funeris, & cadauer, antè
Quàm coruíque canéſque vulturéſque:
Et ſagacius acribus moloſſis
Per veſtigia certa certus ædes
AEgroti petit eſuritor audax:
Pulſa coniuge, liberis, propinquis,
Ceras delet & oblinit priores:
Natos abdicat: occinítque in aurem
Morbo deſipientis & ſenecta
Deliri ſenis, vt caput cucullo
Obducat, moriatur in cucullo:
Amorem ſuperûm, ſacrum cucullum,
Timorem cacodæmonum, cucullum,
Cuncti delicias poli, cucullum.
Id vnum canit, orat, vrget, inſtat,
Id vnum reboat, ſonat, tonátque.
Id vnum tamen expedire neſcit,
(Negoti quod erat caput) beati
Quî fit vt moriamur in cucullo,
Quum nemo bene viuat in cucullo.

IN ROMAM.

HI colles, vbi nunc vides ruinas,
Et tantùm veteris cadauer vrbis,

Quondam cæca lupis fuere lustra:
Donec per freta vectus Arcas exul,
Pani (pelleret vt lupos) Lycæo
Lupercalia festa dedicauit,
Nudos currere iussit & Lupercos,
Sacrum & collibus addidit Lupercal.
Sed vis insita, contumáxque flecti
Peruicit genius laborem & artem:
Et per secula longa ne perirent
Istis semina collibus lupina,
Tristes progenuit solum lupinos,
Lætos progenuit lupos salictum.
Et coniux Lupa Faustulo tyrannis
Albani pecoris fuit magistro.
Et qui mœnia prima condiderunt,
Nutriuit lupa, Romulum Remúmque.
Et Floralia festa, sunt luparum:
Et quondam in media fuit suburra,
Vico vrbis celeberrimo, lupanar.
Et quos Fabricios graues putabis,
Obserua, inuenies lupos voraces:
Et quas Sulpicias reare castas,
Obserua, inuenies lupas salaces.
Et ne posse deos lupis carere

Credamus, ſacer eſt lupus Gradiuo.
Et lupos mare laneos, & amnis
Sub cryptam mediæ vomit ſuburræ.
Nec putris ſoboles araneorum
Non cognomine nobilis luporum eſt.
Totam denique, quantacunque Roma eſt,
Naſcentem, vegetam excute, & ruentem,
Nihil comperies niſi lupercos,
Lupercale, lupos, lupas, lupanar.

AD GVLIELMVM LVRIVM Longanum, ſenatorem Burdeg.

ORABAM modò blandius Camœnas
Vt dignum mihi carmen explicarent
Longani auribus, eruditione
Dignum & iudicio politiore,
Quum mi talia reddit vna, Ad illum
Nec tuis precibus locúsve opúſve eſt:
Nos ſic diligit, excolit, fouétque,
Vt non diligat amplius Minerua.
At ſaltem mihi diua carmen, inquam,
Commendatior illi vt eſſe poßim,
Qui ſic diligit vnicè Camœnas,
Qui ſic diligitur ſacris Camœnis,

Concede. Illa refert, Inepte tantùm
Te noſtri comitem chori eſſe dicas,
Et communibus in ſacris miniſtrum.
Hoc illi ſatis eſt, ſacris Camœnis
Qui ſic diligitur, ſacras Camœnas
Qui ſic vnicè amat, colit, fouétque, vt
Probétque omnia quæ probent Camœnæ,
Probéntque omnia quæ probet, Camœnæ.

AD ANTONIVM GOVEANVM.

SI quicquam Goueane fas mihi eſſet
Inuidere tibíve, Teuióve,
Et te noſtro ego Teuio inuiderem,
Et noſtrum tibi Teuium inuiderem.
Sed quum me nihil inuidere ſit fas,
Vel tibi Goueane Teuióve,
Si fas eſt quod amor dolórque cogit,
Vobis imprecor vſque & imprecabor,
Vterque vt mihi, ſed citò, rependat
Hoc prauum ob facinus malúmque pœnas:
Te mi Teuius inuidere poßit,
Tu poßis mihi Teuium inuidere.
Ambobus mihi ſi frui licebit,

Cælum dijs ego non ſuum inuidebo,
Sed ſortem mihi dij meam inuidebunt.

AD THEODORVM BEZAM, Vezelienſem.

PRAESVL optime, ſacra Chriſtiana
Qui caſtè colis & facis caniſque,
Ad te carmina mitto nec Latino
Nec Graio ſale tincta, ſed Britannis
Nata in montibus, horrida ſub arcto,
Nec cælo neque ſeculo erudito.
Quæ ſi iudicio tuo probentur,
Vt claſſis modò in vltimæ referri
Poſſint centurias, nihil timebo
Cenſuram inuidiæ, nihil morabor
Senatus critici ſeueritatem,
Nihil grammaticas tribus: mihi vnus
Beza eſt curia, cenſor & Quirites.

AD

ADAMAS IN CORDIS EFfigiem sculptus, annulóque insertus, quem Maria Scotorum regina ad Elizabetham Anglorum reginam misit anno 1564.

NON me materies facit superbum,
Quòd ferro insuperabilis, quòd igni,
Non candor macula carens, nitoris
Non lux perspicui, nec ars magistri,
Qui formam dedit hanc, datam loquaci
Circumuestiyt eleganter auro:
Sed quòd cor dominæ meæ figura
Tam certa exprimo, pectore vt recluso
Cor si luminibus queat videri,
Cor non lumina certius viderent.
Sic constantia firma cordi vtrique,
Sic candor macula carens, nitoris
Sic lux perspicui, nihil doli intus
Celans: omnia denique æqua præter
Vnam duritiem. Dein secundus
Hic gradus mihi sortis est fauentis,
Talem heroida quòd videre sperem,
Qualem spes mihi nulla erat videndi,
Antiqua domina semel relicta.

O si sors mihi faxit, vtriusque
Nectam vt corda adamantina catena,
Quam nec suspicio, æmulatióve,
Liuórve, aut odium, aut senecta soluat:
Tam beatior omnibus lapillis,
Tam sim clarior omnibus lapillis
Tam sim carior omnibus lapillis,
Quàm sum durior omnibus lapillis.

GEORGII BVCHANANI Scoti Iambi, & alii versus lyrici.

IN ANTONIVM TOMARIVM Abbatem.

O FAMA prisci laudibus secli tumens,
Præsens superbo despuens fastidio,
Accede, specta quid priorum tẽporũ
Opponat ætas nostra magniloquentiæ:
Non quod Platoni rancidóve Socrati,

Sophísque falsò dictitatis comparet,
Sed Christianæ puritatis vnicum
Exemplar, vnum ſpecimen, vnam imaginem,
Vnámque vitæ corrigendæ regulam,
Vnúmque Chriſti proximè veſtigia
Qui perſequatur, indicétque cæteris,
Vitámque vita penitus exprimat ſua,
Antonium Tomarianum antiſtitem.
Chriſti parentum nemo vidit alterum,
Nec ipſa mater nouit Antoni patrem.
Vterque, paſtor: noſter hac parte eſt prior,
Hic paſcit herbis, ille verbis pauerat.
Vt quinque panibus ille quinque millia
Saturauit, iſte (ne ſaturitas noxia
Animæ inquinaret puritatem, vt arbitror)
Ad quinque panes quinque plebis millia
Redegit: vt ſiquid ſuperſit, (vt reor)
Fragmenta poſſit abſq; cophino tollere.
Vt ille vera vitis, hic verus meri
Eſt vter. ille verba ſeuit, hic viros.
Piſcator hic, piſcator ille: retia
Vterque tendit diſpari compendio.
Comprendit ille pauculos pauperculos,
At iſte clauſtra plena monachis pinguibus.

Aucupibus hic est atque venatoribus
Comitatus, olim vt ille piscatoribus.
Et hic & ille crediti cum fœnore
Exactor asper, dena vtrique altera decem
Talenta, quinque quinque pariunt altera.
Quæ sparsit alius, hic & ille colligit:
Quæ seuit alius, hic & ille demetit:
Cum publicanis atque peccatoribus
Libenter ille cœnitare dictus est:
Cum publicanis atque peccatoribus
Sic ratio nostro semper est Antonio,
Vt penè decoris immemor, lucri memor,
Publicanus esse non recuset. Pauperum
Sequuta Christum turba semper est comes,
At iste, latè quàm patet vicinia,
Agris propinquos pauperes reddit suis,
Quorum caterua, quâ nequit pedibus sequi,
Diris probrísque sequitur & conuitiis.
Christi perunxit vna peccatrix caput,
Pedésque lacrymis lauit, extersit comis:
Istius humeros, colla, pectus, brachia,
Caput, pedésque & crura, ventrem & ilia
Si scire cupias quot meretrices lauent,
Tergant, refoueant, induant & exuant,

Scies facilius quot capillos verticis
Ex area alba tonsor illi demetat.
Christus paternam iam reuisurus domum,
Fidis tuendum comitibus gregem dedit:
At hic Auernam iam reuisurus domum,
Monachis tuendum pinguibus gregem dedit.
Passim per agros iam cucullati patres
Oues sequuntur, & colono paupere
Cum prole pulso sordida, latè solum
Pastore monacho paret vni Antonio,
Vt per propinqua rura grex sit vnius,
Et vnum ouile, & pastor vnus. vnica
Sed pars omissa est, vnicam quam maximè
Agere decebat: Christus immeritò vt lauit,
Sic iste meritò luere pœnas debuit.
Sed iusta siquid vota pauperum valent,
Quos laribus inopes expulit, sontem hæ manent
Inter comantes angue torto Erinnyas.

IN BELEAGONEM.

BELEAGO, fomes & parens mendacij,
Ab ore cuius pauida veritas fugit,
Mali susurrat nescio quid clanculum,

At fama de illo non susurrat, sed palàm
Hoc vniuersus populus affirmat, quòd est
Beleago fomes & parens mendacij,
Ab ore cuius pauida veritas fugit.
Hoc igitur æquus æstimator iudicet,
An mentiatur populus vniuersus, an
Beleago fomes & parens mendacij,
Ab ore cuius pauida veritas fugit.

ADVENTVS IN GALLIAM.

IEiuna miseræ tesqua Lusitaniæ,
Glebæq́, tantùm fertiles penuriæ
Valete longúm. At tu beata Gallia
Salue, bonarum blanda nutrix artium,
Cælo salubri, fertili frugum solo,
Vmbrosa colles pampini molli coma,
Pecorosa saltus, rigua valles fontibus,
Prati virentis picta campos floribus:
Velifera longis amnium decursibus,
Piscosa stagnis, riuulis, lacubus, mari:
Et hinc & illinc portuoso littore
Orbem receptans hospitem, atque orbi tuas
Opes vicissim non auara impertiens:

Amæna

Amœna villis, tuta muris, turribus
Superba, tectis lauta, cultu splendida,
Victu modesta, moribus non aspera,
Sermone comis, patria gentium omnium
Communis, animi fida, pace florida,
Iucunda, facilis, Marte terrifico minax,
Inuicta, rebus non secundis insolens,
Nec sorte dubia fracta, cultrix numinis
Syncera, ritum in exterum non degener.
Nescit calores lenis æstas torridos,
Frangit rigores bruma flammis asperos.
Non pestilentis pallet Austri spiritu
Autumnus, æquis temperatus flatibus:
Non ver solutis amnium repagulis
Inundat agros, & labores eluit.
Ni patriote amore diligam & colam
Dum viuo, rursus non recuso visere
Ieiuna miseræ tesqua Lusitaniæ,
Glebásque tantùm fertiles penuriæ.

D. GALTERO HADDONO, magistro libellorum supplicum sereniss. Angliæ reginæ.

FRustra senectam Haddone prouocas meam
Læta ad iuuentæ munia,
Musásque longo desides silentio,
Arenam in antiquam vocas.
AEtas choreis quum vigebat aptior,
Et lusibus decentior,
Vix me in Britannis montibus natum, & solo
Inerudito & seculo,
Raræ audiebant, raræ adibant fontium
Deæ sacrorum præsides:
Nunc, quum capillis sparserit canentibus
Decliuis ætas tempora,
Quum pulset annus penè sexagesimus,
Animíque langueat vigor,
Surdus roganti Phœbus aurem denegat,
Musæ vocantem negligunt.
Nec Phyllidis me nunc iuuat flauam comam
Præferre Bacchi crinibus:
Nec in Neæræ perfidam superbiam
Sæuos iambos stringere:

Nec siquis olim stimulus ingenio additus
Animum excitabat languidum.
Sed, missionem quum senecta flagitet
Iustam, valetudo imperet,
Libens quiesco, & acquiesco legibus
Peioris ævi aheneis:
Tibíque, cui sors liberali dextera
Opes, honores, otium,
Natura mentem vegeto adhuc in corpore
Diuiniorem indulserit,
Applaudo (solum quod queo) magno gradu
Parnassi ad alta culmina
Feliciore ætate eunti & alite,
Et enthea vi pectoris.
Nam siquid olim effœta mens felicius
Nunc temere fundat, id deæ
Cui nostra musa dedicata est, debeo,
Non viribus mei ingeni.
Hæc est Thalia nostra, nostri pectinis
Hæc est magistra & arbitra,
Quæ sola Phœbo digna cantat, & cani
Est digna Phœbi barbito,
Aut alia, siqua barbito Phœbi parem
Nostræ deæ æquat barbiton.

Quòd si dearum vtrinq; mentes copulet
Amica vis concordiæ,
Sermone qui nunc vix pedestri repo humi,
Plebeia fingens carmina,
Arcanæ rupis Delphicæ silentia
Sitúque longo squalidos
Tripodas mouebo, & masculo dicam sono
Iucunda pacis otia:
Dicam Gradiuum vinculis coercitum,
Legum coactam iniuriam
Parere frenis, vim repressam, & aurei
Beata secli commoda.
Et nostra siquid audiendum vox dabit,
Laudi dearum seruiet.
Virtute quarum pax agros Britanniæ,
Vrbes fides, fora æquitas,
Et templa pietas, impiis erroribus
Procul relegatis, colet.

AD ELISABETHAM SE-reniſſimam Angliæ reginam.

QVANVIS vetuſto ſtemmate ſplẽdeas,
Regina, princeps optima principum,
Quacunq; magnum ſol per orbem

Flammiferos agitat iugales:
Quanuis feroci marte ſubegeris
Hoſtes rebelles, & populi feros
Motus, & inſanos tumultus
Lenieris, ſine cæde victrix:
Virtutis inter tot titulos tuæ &
Laudum perennes fulget adoreas
De fauce auarorum latronum
Relligio pia vindicata.
Iam nulla ſaxis figimus oſcula,
Nulla è ſepulchris tracta cadauera
Gemmis refulgent, faſcinántque
Indociles animos popelli.
Non otioſæ dedita næniæ
Mendica fratrum turba rapacium
Paſſim vagatur, collocátque
Fœmineo inſidias pudori.
Sub te licebit principe liberè
Chriſtum fateri, ficta refellere,
Myſteriúmque veritatis
Sepoſito reſerare fuco.
Ergo ſalutis ſollicitum tuæ
Cæleſte numen peruigil excubat,
Et impiorum inauſpiçata

Vota facit, retegítque fraudes.
Super dracones fortis inambula,
Sæuam leonum frange ferociam.
Per aſpides erra, & per oras
Quas Libycus baſiliſcus afflat:
Cæli fauor te, te pietas tua,
Te ſupplicantum continuæ preces
(Prædonibus quos ex auaris
Eripis) incolumem reducent.

IN COLONIAS Braſilienſes.

DESCENDE cælo turbine flammeo
Armatus iras angele vindices,
Libidinum iam notus vltor
Exitio Sodomæ impudicæ.
En rurſus armis quod pereat tuis
Luſtrum Gomorrhæ ſuſcitat æmulum
Syrûm propago, & execrandæ
Spurcitiæ renouat palæſtram.
Pars illa mundi quam ſibi propriam
Sedem dicauit mollis amœnitas
Luxûſque, ſub fœdis colonis
Seruitium tolerat pudendum.

Abominandis arſit amoribus
Strigoſus æſtu, pauperie & fame,
Glandis vorator, virulentum
E rhaphanis redolens odorem:
Quem (rêre) ponet nequitiæ modum
Frænis libido libera? & inſolens
Humanioris ferre victus
Illecebras meliore cælo?
O Chriſtiani infamia nominis,
O fœda labes & nota temporum:
O turpium turpíſque cauſa &
Exitus & pretium laborum.
Ignota roſtris verrimus æquora,
Gentes quietas ſollicitauimus
Terrore belli, orbíſque pacem
Miſcuimus miſero tumultu.
Per ferrum & ignes & mare naufragum
Secreta rerum clauſtra refregimus,
Ne deeſſet impuris cinædis
Proſtibulum veneris nefandæ.
Gens illa nullos mitis in hoſpites,
Et ora victu aſſueta nefario,
Portenta conſpexit cyclopum
Sanguinea dape fœdiora.

Nunc Scylla ſæuos exere nunc canes:
Nunc nunc Charybdis vortice ſpumeo
Conuolue fluctus, & carinas
Flagitiis grauidas reſorbe.
Aut hoſce tellus in patulos ſpecus,
AEthérve flammis perde ſequacibus
Turpes colonos, Chriſtianæ
Dedecus opprobriúmque terræ.

GEORGII BVCHAnani Scoti Epigrammata.

IN PANTOLABVM.

VIS te miremur putri quòd verme cucullo
Vndante absumpto viscera pelle patent:
Impia quòd stolido vendas mendacia vulgo,
Quòd laudet nugas plebs malesana tuas:
Quòd malè dũ cantas quos nõ intelligis hymnos,
Rancida de balba sibila nare sones:
Quòd tribus anticyris caput insanabile radas:
Quòd bibat immundam calceus vdus aquam:
Quòd tunicam fluxam nodosa cannabe cingas,
Quum melius fauces stringeret illa tuas.
Miramur certè, sed non cum deside vulgo,
Sed velut Harpyias, Gorgonas, aut Furias.

FRATRES EXTRA MVNDVM.

Pene, manu, lingua fratres munda omnia fœdãt:
In mundo meritò sese habitare negant.

DE MONACHORVM inter se discordia.

Quũ monachi fratres sint, quos vel cãdida vestis,
Vel nigra, vel gemino mixta colore tegit:
Quanta tamen miseros agitat discordia fratres!
Quàm non fraternæ fœdera pacis amant!
Non ita germanum reducem trux oderat Atreus,
Atrea visceribus non satur ille suis.
Mitius OEdipodæ soboles exarsit in iras,
Mitior indomitas incitat ira feras.
Euentu ô simili cesset fraterna simultas,
Et dirimat caluos exitus iste patres.
Dentibus & gladiis in mutua funera currant,
Ira nec extremi cesset in igne rogi.

IN PETRVM GONELLVM, Dominicanum.

In vino audiuit verum latitare Gonellus,
Sesquipede extento pinguis aqualiculo.
Sic ne (ait) in nugis frustra consumpsimus annos,
Et tulimus tetricæ iurgia lenta scholæ?
Ergo vale sterilis veri Sorbona, tuúmque
Accipe discipulum docta taberna nouum.

Ex illo ad crassam scrutatur dolia fæcem,
Peruigil & noctes perbibit atque dies.
Tandem consumptis fœcunda in pocula nummis,
Hoc veri inuenit, Nil scio, nil habeo.
Solandóque sui lepidè ludibria damni,
Socrate se iactat non minus esse sophon.

IN EVNDEM.

Quum vetus effuso biberetur milite vinum,
Nec fore maturum spes foret vlla nouum,
Immatura pater biberet ne vina Gonellus,
Matura Stygias morte petiuit aquas.

DE MONACHIS SANCTI Antonij.

Diceris Antoni porcos pauisse subulcus,
Viuus, adhuc monachos lumine cassus alis.
Par stupor ingenij est ventrísq; abdomẽ vtrisque,
Sorde pari gaudent ingluuiéque pari.
Nec minus hoc mutũ pecus est brutúmque suillo,
Nec minus insipidum, nec minus illepidum.
Cætera conueniunt, sed non leuis error in vno est:
Debuit & monachis glans cibus esse tuis.

IN QVENDAM PRAESVLEM.

Quum te mula vehit nihilo te indoctior ipso,
Et nitet (vt par est) murice vterque pari:
Quòd non te procerésque colãt, & vulgus adoret,
Presbyteris (clamas) nullus habetur honos.
Nõ tum cessat honos, præsul quũ spernitur excors,
Sed quum regnat ὄνος, tum violatur honos.

IN IDOLI CVLTOREM.

Manè, Pater noster, quum surda idola salutans,
Ingeminas, sana mente videre loqui?
Saxeus illo ipso magis es, me iudice, saxo:
Quippe patrem saxum qui fateare tuum.

IN EVNDEM.

Oscula, serta, rosas das & libamina saxo,
Téque pium dici, quum facis ista, cupis.
Quid tibi pro tanta maius pietate precemur,
Quàm vt fias numen tu quoque quale colis?

IMAGO AD PEREGRE VENIENTES religionis ergo.

Fare, age, qui terras lustras vagus hospes & vndas,

Quid petis hinc? longæ quæ tibi causa viæ?
Non deus hîc quisquam, nec imagine numen in
ista est:
Nos lapis, & tantùm putria ligna sumus,
Vermibus esca, cibus tineis, domus hospita blattis,
Opprobrium cæli, ludibriúmque soli.
Non capiunt humiles numen cæleste penates,
Structa nec humana saxea tecta manu.
Quem mare, quem tellus, quem non capit igneus
æther,
Clauditur in nullo spiritus ille loco.
Vt Christum inuenias, animi secreta reuolue,
Aut lege fatidici quæ cecinere patres.
Aut quæ diues habet passim circunspice mundus:
Hæc vera est ædes, hoc penetrale Dei.
At quisquis picto gaudet dare basia trunco,
Crassáque puluereo lingere saxa croco,
Dignus morte perit, qui mortua viuus adorat,
Et vitæ in fragili spem sibi ponit humo.
Si te picta iuuant, cariem ne perline trunci,
Sed vera mentem simplicitate tuam.
Hac ratione, domi poteris reperire quod omnes
Erro vagus terras sic peragrando fugis.

IN HYPOCRITAM QVENDAM.

Ille, vides, naſo qui incedit ſeſquipedali,
Qui quicquid loquitur, ſeſquipedale ſonat:
Qui longo gaudet voces producere tractu,
Qui ſemper longo ſyrmate verrit humum:
Qui latus exhauſtum non vna ſindone veſtit,
Qui capiti inducit pilea plura pilis:
Rarus ſermo, grauis greſſus, talaris amictus:
Vt rere, egregij ſunt ea ſigna ſophi.
Sed cur ſacrificos gaudet ſtipare cinædos?
Cur ſapiens ſtolidos ſic ſine fine colit?
Auctio ſectorum cordi eſt, non actio ſectæ:
Donec ſector erit, nempe ſequutor erit.

IN CODRVM.

Ille ſenex ciuis, rigidíque exemplar honeſti,
Codrus, heri paruo conditus eſt tumulo.
Sed neque funereæ præceſſit nænia pompæ,
Penſilibus ſignis nec nituere faces:
Lurida nec pullam ſumpſit cognatio veſtem,
Tinnula nec mœſtos ære dedere ſonos:
Funera nec denſæ celebrarunt organa turbæ,
Præfica nec luctum ſollicitauit anus:

Vix datus est tumulus. Codrum si rêre fuisse
Fortè Lutheranum, fallere: pauper erat.

IN CHRYSALVM.

Flaua Ceres longi spes interceperat anni,
Aruerat pigro vinea tosta gelu:
Morbus oues rapuit, furto periere capellæ,
Inter opus fracti succubuere boues.
Ergo opibus caris quum Chrysalus esse superstes
Nollet, & in laqueum iam sua colla daret,
Succurrit, laqueum nummis venire quaternis:
Ergo nos gratis nec moriemur, ait.
Ensis abest, stricto transfigere corpora ferro
Dum parat: & sumptus hîc quoq; adesse videt.
Tant i fossor, (ait) tanti vespilo, sacerdos,
Cereus, & tanti cymbala rauca crepant:
Et precibus pretiũ est etiam, pretiúmq; sepulchro:
Ergo placet rapidis mergere corpus aquis.
Dúmque cadit, Certè quãuis mare (dixit) amarũ,
Attamen hîc gratis, credo, iacere licet.

PICTOR ET PISTOR.

Contendunt specimen pistor pictórque vter edat,
Pulchrius: hic fuco doctior, ille foco.

Hic feciſſe deum ſe iactat: rettulit ille,
Corpus ego verum, tu ſimulachra facis.
Dentibus aſſiduè teritur deus hic tuus, inquit:
Corrodunt vermes (rettulit ille) tuum.
Pictor ait, Multos meus integer aſtat in annos:
Sæpe vna innumeros deuorat hora tuos.
At tibi vix toto deus vnus pingitur anno,
(Piſtor ait) decies mille dat hora mihi.
Parcite (ait myſtes) fruſtra contendere verbis:
Nil ſine me poterit veſter vterque deus.
Et quia vtrunque deum facio, mihi ſeruit vterq;:
Nánque hic mendicat, manditur ille mihi.

IN DIONEM & Clementem.

Ebria quum titubans dubio veſtigia paſſu
Vix regit, & blæſo blandulus ore ſonat:
Quum lacrymis oculíque madent, pectúſque falerno,
Sanctè feſta Dion ſe coluiſſe putat:
Sic etenim ſuaſit multos diffuſius in annos
Ritus ab antiquis vſque petitus auis.
At Clemens dũ ſancta legit monumenta parentũ,
Dum populo ad cœli limina pandit iter:

Otia

Otia legitimo violat dum festa labore,
Rite diem festum se coluisse putat:
Sic etenim veterum suadent exempla parentum,
Oréque veridici prodita iussa Dei.
Vtrum igitur laudas? quando defendit vterque,
Legibus hic causam, moribus ille, suam.
Si liceat iustè causas expendere, festum
Ille colens violat, hic violando colit.

IN ROMAM.

Non ego Romulea miror quòd pastor in vrbe
Sceptra gerat: pastor conditor vrbis erat:
Quúmque lupæ gentis nutritus lacte sit autor,
Non ego Romulea miror in vrbe lupos:
Illa meum superat tantùm admiratio captum,
Quomodo securum seruet ouile lupus.

IN EANDEM.

Roma armis terras, ratibúsque subegerat vndas,
Atque iidem fines orbis & vrbis erant.
Restabat cælum, sedes perfregit Olympi
Pontificum veterum relligiosa cohors.
At bona posteritas, ausis ne cedat auitis,
Tartara præcipiti tendit ad ima gradu.

IN PIVM PONTIF.

Vendidit ære polum, terras in morte relinquit:
Styx superest Papæ quam colat vna Pio.

IN IVLIVM PONTIF.

Stare diu haud poterat mundusque & Iulius vnà,
Omnia perdendi tam ferus ardor erat.
Ergo ne ante diem mundi structura periret,
Ad Styga discessit Iulius ante diem.

IN PAVLVM PONTIF.

Paulus ab Hebræo scis quantum distet Iuda?
Hic cæli dominum vendidit, ille domum.

AD PASQVILLVM.

Præsule de Paulo, præsul doctissime vatum
Pasquille, dic quid sentias.

Nil melius paulo factum est antistite Paulo,
Et peius est Paulo nihil.

PASQVILLVS.

Esse putas forsan me fragmina trunca columnæ,
Aut de præcipiti saxa voluta iugo.

Falleris: ille ego sum Pasquillus, in vrbe Quirini
Notus, & in formas impiger ire nouas.
Nunc putor inducto Cyllenius esse galero,
Me facit æquoreum fuscina sumpta deum.
Adde mihi citharam, fiam manifestus Apollo:
Pampineos thyrsos adde, Lyæus ero.
Pallada me clypeus, Phœben facit aureus arcus:
Da fulmen, Iuno dixerit esse Iouem.
Sum pax, sum bellum: lis & concordia fio:
Nunc volucris pennis, nunc fera tecta pilis.
Denique transiero cuncta in miracula rerum:
Sed puero Romæ non licet esse mihi.

IN QVENDAM ANTISTITEM.

Esse Lutheranum rumor te Posthume clamat:
Sed tuus antistes te tamen esse negat.
Tam scortaris (ait) quàm si vel episcopus esses,
Et potas dubiam peruigil vsque diem:
Nec memor es Christi, nisi quum iurare libebit,
Nec scis scripturæ vel breue Iota sacræ.
Nempe per hæc sueuit nunquam fallentia signa
Ille vigil sanas noscere pastor oues.
Quisquam igitur dubitat, rumórne an episcopus
Tam bene cõmissam qui sibi nouit oũẽ? (erret,

DE BRASILIAE COLONIS.

Africa deseritur, miles mendicat egenus,
Vi sine tuta fugax oppida Maurus habet.
Accipit obscœnos Brasilia fusca colonos:
Quique prius fœdè vixerat, arua fodit.
Qui sua militibus tollit, dat rura cinædis,
Iure sub aduerso nil bene Marte gerit.

EPIT. IAC. SYLVII.

Syluius hic situs est, gratis qui nil dedit vnquam:
Mortuus, & gratis quòd legis ista, dolet.

EPIT. GVL. BVDAEI.

Gallia quòd Græca est, quòd Græcia barbara nõ est,
Vtraque Budæo debet vtrunque suo.

IN BACCARAM febricitantem.

Arida torreret tibi quum præcordia febris
Baccara, nec vitæ spes foret vlla tuæ,
Assem es pollicitus, superósque in vota fatigans,
Fudisti miseras ore tremente preces.
Audiit Omnipotens: febrim tibi pellit acutam,
Atque assem prudens pro nebulone capit.
Vir bonus esse potes, cuius caput asse redemptũ est,
Iudicióque tuo, iudicióque tui?

IN STEPH. DOLETVM.

Verba Dolet⁹ habet (quis neſcit?) ſplẽdida: verùm
Splendida nil præter verba Doletus habet.

DE INSIGNIBVS GALLIAE & Scotiæ iunctis in nuptiis Iacobi V, & Magdalenes filiæ Franciſci I, Gall. regis.

Quàm bene cum fuluo ſunt lilia iuncta leone:
Floribus illa quidem præſtat, vt ille feris.

AD AMICOS.

Nemo meos cineres violis fragrantibus ornet,
Nudáve purpureas ſpargat in oſſa roſas.
Siquis amat, viuo largum ſe præſtet amico,
Officiis poterit dum locus eſſe piis.
Aſt vbi fatales Lacheſis mihi neuerit annos,
Noſtra vel incultis horreat vrna rubis.

AD QVENDAM AMICVM Scotum, cui quum cœnam condixiſſet, non venit.

Ad cœnam tecum vates tuus affore dixit:
Dixit, ſed vates dicere falſa ſolent.

EX ANG. POlitiano excerpta Epigrammata.

IN PAVLVM.

QVAE tu condideras damnaui carmina nuper,
Nec tua damnaui carmina Paule tamen.
Autor eras, fateor: sed quum sint edita Paule,
Autoris non sunt carmina, sed populi.

AD XYSTVM CARDIN.

Verba dedi Xysto: decet haec dare dona poetam:
AEra decet Xystum reddere, verba refert.
Verùm habet ille alios q dent sibi verba, fatemur:
AEra tamen qui nunc det mihi, nullus adest.

AD EVNDEM, PROPTER aliquos poetas detractores.

Credebam demens Xystum mihi verba dedisse:
Fallebar, vates nam mihi verba dabant.

Nil queror: insanis mos est dare verba poetis.
Dÿ faciant ne sis Xyste poeta mihi.

DE DOMITIO & Marsilio.

Audit Marsilius missam, missam facis illam
Tu Domiti: magis est relligiosus vter?
Quis dubitet? tanto es relligiosior illo,
Quanto audire minus est bona, quàm facere.

IN PAMPHILVM.

Mittis vina mihi, mihi Păphile vina supersunt:
Vis mage quod placeat mittere? mitte sitim.

AD LAVRENT. MED.

Det tibi Nestoreos Laurenti Iuppiter annos:
Nestoreum quoniam pectus & ora dedit.

AD EVNDEM.

Num tibi littorea collectum Anthedone gramen
Diuinum extemplo pectus & ora dedit?

Nil mortale sapis Laurens, sed pectore cælum,
Sed cælum lingua, mente animóque refers.
Quum referas cælum, cælum tibi præmia fiet:
Tu citò parta tamen præmia serò pete.

IN DEMETRIVM CRETENSEM, & Dionysium Parauisinum, Græcorum voluminum impressores.

Qui colis Aonidas, Graios quoque volue libellos:
Nanque illas genuit Græcia, non Latium.
En Parauisinus quanta hos Dionysius arte
Imprimit, en quanto cernitis ingenio.
Te quoque Demetri ponto circunsona Crete
Tanti operis nobis edidit artificem.
Turce quid insultas? tu Græca volumina perdis,
Hi pariunt: hydræ nunc, age, colla seca.

AD GALEOTTVM PRINCIpem Fauentinum.

Cur promissa tibi tuus poeta
Nondum præstiterit, rogas? poeta est.

IN PTOLEMAEI GEOgraphiam, è Græco.

Si cælum è terra spectes, cælum omne videbis:
Si terram è cælo, penitus tibi terra patebit.
Nunc terram penitus cernis, cælum esse putato.

IN NIOBEN LAPIDEM, è Græco.

Hoc est sepulchrum intus cadauer non habens,
Hoc est cadauer & sepulchrum non habens,
Sed est idem cadauer & sepulchrum sibi.

IN MABILII INERTEM maledicentiam.

Ore tibi pauci, sed nulli in carmine dentes
Quum sint, atque illi sint putridi & veteres,
Allatras: vt quum nequeas mordere Mabili,
Latratu ostendas te tamen esse canem.

IN DOMITIVM SCAZON.

Asta viator, pluuerem vides sacrum,
Quem verticosi turbat vnda Benaci.

Hoc mutat ipſum ſæpe muſa Libethron,
Fontémque Siſyphi, ac vireta Permeſſi.
Quippe hoc Domitius vagiit ſolo primùm,
Ille ille doctus, ille quem probè noſti
Dictata dantem Romulæ iuuentuti,
Mira eruentem ſenſa de penu vatum.
Abi viator: ſat tuis oculis debes.

AD FRANCISCVM
diſtichon.

Scripſit in inuidiam quidam Franciſce poeta,
Tam bene, tam doctè, nullus vt inuideat.

EX J. JOVIANO Pontano.

IN MALVM POETAM, QVEM mutato nomine Vtricellum vocat.

Non sunt carmina, sed cacationes,
Quæ se scribere iactat Vtricellus.
Est merdosius omnibus latrinis
Quod se scribere iactat Vtricellus.
Obtura miserum Camœna nasum,
Ne te carmina tam cacata lædant.
O merdosa poemata, ô quid vnquam
Erit vel fuit his magis cacatum?
Quamprimum medicos mei sodales
Ad me ducite. nam maligna febris
Dudum me tenet: vt dij deæq;
Isti dent mala multa, qui nec vnquam
Scribit carmina, sed cacationes.

TRANQVILLAM NEPTEM bimestrem alloquitur in obitu Lucij filij.

Aui tui Tranquilla delicium, & quies
Orbi senis, quem fles misella? mœstula
Quem fles? patrémne, quem extulisti infantula?
Sentis an hæc in matris vlnis? an meis
Et ipsa deflens assonas conquestibus?
O inditum naturæ, & homini ad insitum
Semen patrísque auíque. Tranquilla hinc dolet,
Patrem dolet misella, auóque condolet.
Sed quid quòd arrides, quòd adnutas auo?
Senis leuamen vnicum, an solari auum,
Postquam patrem luxti, studes mea neptula.
Ridet meum deliciolum. ridę mea,
Ride voluptas: osculare auum tuum,
Et hoc leuaminis genere senem foue.
Leua meum luctum, leua sordes meas,
Senémque auúmque ab ægritudine alleua.
Caducus ipsa es flos, mihi sol occidit:
Flori timenda nebula, tenebræ autem seni:
Vita occidua senis, caduca infantulæ.
Certi nihil vitæ tibi est neptis mea,
At certam auo mortem minantur singula.

CONQVERITVR DE LVCII filij morte cum Tranquilla nepte.

Senij leuamen vnicum neptis mei,
Vbi est pater tuus misella? mortuum
Quem nescias misella? nec iam sentias
AEtate in ista primula? dieculis
Paucissimis è matris aluulo edita,
Rubicundula, & nutricis alludens sinu.
Heu heu genus hominum caducum & languidũ.
In germine ipso, vitæ in ipso limine
Puer interit: natum senex effert pater,
Auus patrem tuum: misella neptula,
Et ipsa patrem infantula in cunabulis.
Viuítque auus confectus annis, ipsáque in
Crepundiis vagis, mali tui inscia,
Sortísque venturæ. dolor, dolor adigit
Auum, patrem, senémque sorte de hac queri.
Miseram senectutem meam, miserum senem.
At tu misella, fortè auum si amiseris,
Hoc destituta vinculo arescens, velut
Crescens amaracus, liquore si suo
Suóque sole non alatur, interit.

CONQVERITVR APVD rosas de morte Lucij filij.

Quid ô rosæ, quid lassulæ reflectitis
Caput, comæq; deciduint è vertice?
Honósque foliis deciduus omnis perit?
Vobis nec aer officit, nec aeris
Nocens status: vernus tepor sed vos fouet,
Auræ salubres ventilant, nox vdula
Humore tingit roscido. quid, heu, quid est,
Quòd languidæ, quòd lassulæ reflectitis
Caput, comásque? honos & omnis concidit?
Lugetis an vos Lucium colonulum,
Qui vos colebat aureis rastellulis?
Argenteis qui vos putabat falculis?
Heu heu miser parens, miser quid agam senex?
Senex miser, pater miserior quid nam ages?
Senex quid aget? aut quid pater miserrimus?
Lugete mecum ô hortuli miserrimi,
Lugete amaraci: fleant & lilia,
Fleántque myrti longè amatum villicum,
Laurique cultorem suum, arescentibus
Foliis, comísque & ramulis mœrentibus.
Quis vos, misellæ arbusculæ, quis, herbulæ,

Colet, rigabit? quis manu tenerrima
A sole, ab æstu, aut ab gelu tuebitur?
Quis noxias aut bestias, aut impetum
Cæli procellosum sacro abigat carmine?
Heu heu misellæ arbusculæ, heu heu herbulæ,
Miselli & horti, mortuo colonulo
Squalebitis, tabescet & vester decor,
Honos peribit omnis. Ah senex miser,
Sicipse tabesces, agro velut obsito
Tabescit arens truncus, igne ab lentulo
Correptus, in cinerem qui abit, ac sensim, sine
Nitore, flamma luce adempta fumigat.

CONQVERITVR CVM AMARACO de morte Lucij filij sui.

Foliis quid heu Amarace, heu quid floribus
Nudata squales mœstula? heu quid languida
Arentibus comis & horrido sinu,
Lugubri amictu fles misella Amarace?
An ipsa flere arentibus potes genis?
Deest enim te qui rigabat, & tuus
Colonus ille, argenteo qui vasculo
Liquorem amatum funditabat, & tuam

Sitim leuabat, & leuabat sideris
Rabiem Erigonÿ. At ego misella Amarace
Tuam sitim meis leuabo lacrymis.
Cape has misella lacrymas mœsti senis.
Memor osculorum en illius, fundo tibi
Tercentum amaras pro liquore lacrymas,
Pro rore guttas salsulas totidem alteras:
Amplexuum memor, alteras, & illius
Memor leporum, & comitatis blandulæ.
His tu vireſces, & nouam indues comam
Beata Amarace, foliis nouis, nouo
Amictu. at ego senex subareſcam miser
Humore vacuus, sæpe velut in arida
Asparagus igne afflatus, aut de fulmine
Tacta arbor elangueſcit ab radicibus.

ARIADNA MATER QVE-ritur ad Luciæ filiæ tumulum.

Nata cape hos calathos, depexæ & munera lanæ,
Cum lana & calathis accipe & has lacrymas.
Nata & acus & fila cape, & cape linea texta,
Cúmq; his atque illis, accipe & has lacrymas.
Nata colum fusósque cape, & simul indita lina:
Cúmque colo & fusis, accipe & has lacrymas.

Nata

Nata cape has & bracteolas, hæc aurea dona,
Cúmque his atq; illis accipe & has lacrymas.
Accipe & hos crines, atque hæc tibi munera grata,
Flabellum, & tenues accipe forficulas.
Accipe & hos crines, cúmq; his & scrinia, & au-
Accipe verticulos; accipe gemmeolos. (reos
Accipe & hos crines, cúmq; his bombycina texta,
Et zonam, & pictum hoc accipe reticulum.
Accipe nata meos crines, lacrymásq; meósque
Expecta & cineres, Lucia, & inferias.

GALLAE STERILIS fœminæ.

Galla fui, Gallo coniux bene iuncta marito:
Verùm nec pullos, oua nec vlla dedi.

EX ACTII SYNCE-ri Sannazary Neapolitani, viri patricij, Epigrammatibus.

AD FEDERICVM REGEM.

Scribendi ſtudium mihi tu Federice dediſti,
Ingenium ad laudes dum trahis omne tuas.
Ecce, ſuburbanum rus & noua prædia donas:
Feciſti vatem, nunc facis agricolam.

DE BARTH. PLATINA.

Ingenia & mores vitáſque obitúſque notaſſe
Pontificum, argutæ lex fuit hiſtoriæ.
Tu tamen hinc lautæ tractas pulmenta culinæ:
Hoc, Platina, eſt ipſos paſcere pontifices.

DE MIRABILI VRBE Venetiis.

Viderat Adriacis Venetam Neptunus in vndis
Stare vrbem, & toto ponere iura mari:
Nunc mihi Tarpeias quantumuis Iuppiter arces
Obijce, & illa tui mœnia Martis, ait.
Si pelago Tybrim præfers, vrbem aſpice vtrãque:

Illam homines dices, hanc posuisse deos.

DE AVFIDIO.

Dum caput Aufidio tractat chirurgus, & ipsum
Altius exquirit, quò videat cerebrum:
Ingemit Aufidius, Quid me chirurge fatigas?
Quum subij rixam, non habui cerebrum.

DE IVCVNDO ARCHITECTO.

Iucundus geminos fecit tibi Sequana pontes:
Iure tuum potes hunc dicere pontificem.

AD FERRANDVM REGEM.

Ex ferro nomen tibi sit licet, aurea condis
Secula: nam sub te principe nemo metit.

DE ALEXAND. VI. PONT. MAX.

Bello, inimicitiis, furtísque & cædibus haustam
Italiam cernis Sexte, & obire potes?

DE EODEM.

Dic in amicitiam coeant & fœdera iungant
Mortales: dixit Sextus, & occubuit.

EPITAPHIVM EIVSDEM.

Fortasse nescis cuius hic tumulus siet:
Adsta viator, ni piget.
Titulum quem Alexandri vides, haud illius
Magni est, sed huius qui modò
Libidinosa sanguinis captus siti,
Tot ciuitates inclytas,
Tot regna vertit, tot duces letho dedit,
Natos vt impleat suos:
Orbem rapinis, ferro, & igne funditus
Vastauit, hausit, eruit,
Humana iura, nec minus cælestia,
Ipsosque sustulit deos:
Vt scilicet liceret (heu scelus) patri
Natæ sinum permingere,
Nec execrandis abstinere nuptiis,
Timore sublato semel.
Et tamen in vrbe Romuli hic vel vndecim
Præsidet annis pontifex.
I nunc, Nerones vel Caligulas nomina,
Turpes vel Heliogabalos.
Hoc sat viator: reliqua non sinit pudor:
Tu suspicare, & ambula.

DE EODEM.

Mirum si vomuit nigrum post fata cruorem
Borgia? quem biberat, concoquere haud potuit.

DE EODEM.

Nomen Alexandri ne te fortasse moretur,
Hospes, abi: iacet hic & scelus, & vitium.

DE HOMERO IN LATINUM VERSO.

Quid septem de vate sacro contenditis vrbes?
Ecce, potest ciuem dicere Roma suum.
At vos aut nostrum (si fas) auferte Maronem,
Aut alium vobis quærite Mæonidem.

IN LEONEM X. PONT. MAX.

Sumere maternis titulos quum posset ab vrsis
Cæculus hic noster, maluit esse leo.
Quid tibi cum magno commune est talpa leone?
Non cadit in turpes nobilis ira feras.
Ipse licet cupias animos simulare leonis,
Non lupus hoc genitor, non sinit vrsa parens.
Ergo aliud tibi prorsus habendū est Cæcule nomē:
Nam cuncta vt possis, non potes esse leo.

IN BORGIAM.

Borgia cur ſumma nihili ſacra fecerit hora,
Cúmque ſua dominos ſpreuerit arce deos,
Parcite mirari, qui talia poſcitis, ac me
Credite Apollineo verius ore loqui:
Hoc quod vos cælum, quæ numina dicitis, ille
Eſſe apinas longo tempore crediderat.

AD FEDERICVM.

Litibus abſtinui ſemper: (mihi teſtis Apollo eſt,
Et Muſæ, & ſtudiis otia grata meis)
Nunc me neſcio quis per triſtia iurgia verſat
Scotius, & rauci cogit ad arma fori.
Es (fateor) magnus pulſis, rex inclyte, Gallis:
Pelle etiam Scotos, & mihi maior eris.

IN LEONEM X. PONT. MAX.

Sacra ſub extrema ſi fortè requiritis hora
Cur Leo non potuit ſumere: vendiderat.

EX M.

EX M. ANT. FLAminio excerpta carmina.

AD AGELLVM SVVM.

Vmbræ frigidulæ, arborum susurri,
Antra roscida, discolore picta
Telus gramine, fontium loquaces
Lymphæ, garrulæ aues, amica Musis
Otia. ô mihi si volare vestrum
In sinum superi annuant benigni.
Si dulci liceat frui recessu,
Et nunc ludere versibus iocosis,
Nunc somnum virides sequi per vmbras,
Nunc mulgere mea manu capellam,
Lacteóque liquore membra sicca
Irrigare per æstum, & æstuosis
Caris dicere plurimam salutem.
O quæ tunc mihi vita, quàm beata,
Quàm vitæ similis foret deorum!
At vos ô Heliconiæ puellæ,
Quæis fontes & amæna rura cordi,

Si cara mihi luce cariores
Estis, iam misereſcite obſecrantis,
Méque vrbis ſtrepitu tumultuoſæ
Ereptum, in placido locate agello.

AD EVNDEM.

Venuſte agelle, túque pulchra villula,
Mei parentis optimi
Olim voluptas & quies gratiſsima
Fuiſtis: at ſimul ſenex
Terras reliquit, & beatas cælitum
Petiuit oras, incola
Vos alter occupauit, atque ferreus
Amabili veſtro ſinu
Me lacrymantem eiecit, & caris procul
Abire iuſsit finibus.
At nunc, amica rura, vos reddit mihi
Farneſij benignitas.
Iam vos reuiſam, iam iuuabit arbores
Manu paterna conſitas
Videre, iam libebit in cubiculo
Molles inire ſomnulos,
Vbi ſenex ſolebat artus languidos
Molli fouere lectulo.

Gaudete fontes, riuulíque limpidi.
Heri vetusti filius
Iamiam propinquat, vósque dulci fistula
Mulcebit, illa fistula
Quam vestro Iolæ donat Alcon maximus,
Vt inclyti Farnesij
Laudes canentem Naiadum pulcher chorus
Miretur, & Pan capripes.

AD IOANNEM ANTONIVM Flaminium patrem morientem.

Vixisti genitor bene ac beatè,
Nec pauper, neque dives, eruditus
Satis, & satis eloquens, valente
Semper corpore, mente sana, amicis
Iucundus, pietate singulari.
Nunc lustris bene sexdecim peractis,
Ad diuûm proficisceris beatas
Oras. I genitor, tuúmque natum
Olympi citò siste tecum in arce.

AD ANTONIVM Mirandulam.

Antoni venerande, anima mihi carior ipsa,
Romámne semper incoles?

Te nec auaritiæ morbus, nec feruida honorum
In vrbe detinet sitis.
Vis igitur properemus vbi Donadula Musis
Amica præbet otia?
Hunc agrum dat habere tibi Farnesius heros,
Quo nil amœnius, neque
Fertilius, Baccho & Cereri gratissima tellus,
Togata cernit Gallia.
Has age delicias & dulcia rura petamus,
Quò pulcher Autumnus vocat,
Et Bacchus pater, & virides Pomona per herbas
Cum Gratiis ducens choros.
Iam videor tecum patula proiectus in vmbra
Ad lucidi fontis caput,
Discere nubigenam quæ mille coloribus Irim
Vis pingat, imbris nuntiam:
Cur cadat æstiuo glacialis sidere grando,
Quis tantus excitet furor
Ventos, horrisonas curuato gurgite vt vndas
Ad alta mittant sidera:
Altera cur auro tellus fluat, altera ferro,
At illa gemmis splendeat.
Felix qui rerum causas Mirandula nosti,
Et eleganter explicas.

Tu docti pridem malè culta vireta Lycæi,
Post longa primus secula
Efficis vt prisco reuirescant more: quod omnis
Miretur ætas postera,
Téque parem dicat magnis heroibus illis,
Quos ipsa Pallas artibus
Erudiens claris, dat adhuc splendere per orbem,
Vt pulchra cæli lumina.

AD SVAVISSIMVM sodalem suum.

Senex palustribus loquacior ranis,
Turbáque semper garrula cicadarum,
Tu nunc relictis villulis Capenatum,
Sinu Bononiæ educaris in dulci,
Qua ciuitate delicatior nulla est:
Vitámque lætam viuis atque felicem,
Fruens Morono strenuóque Ceruino,
Quos publicarum cura nobilis rerum,
Ardénsque ad alta sidera euehit virtus.
At quum reuersus ad tuos agros tristi
Silentio miser otióque marcesces,
O quàm vicem tuam dolebis, & cæli
Lucem nitentem quàm videbis inuitus,

Quum vita morte iam videbitur peior.
Senex dicacule, & facete nugator,
Festiuitatis magne amator vrbanæ,
Dic, Caprimulgos inter atque fossores,
Et senticosa rura gentis insulsæ
Quid dulce poterit esse, quídve iucundum?
Cum quo iocando tunc dabitur ineptire?
Quis elegantes ventitabit ad cœnas?
Cui post Falerna vina de malo & sacro
Libro venena versuum propinabis?
Megæra, non Camœna quos tibi dictat,
Vt ijs acerba pestilentior peste
Tuos sodales eneces, quibus centum
Abesse millia passuum nihil prodest.
Nam charta tetro infecta carminum tabo,
Quam sæpe doni maximi loco mittis,
Modis legentum corda polluit miris,
Vt liberare languidos suis succis
Nec ipse Phœbus, ipsa nec salus possit.
At tu poeta lethifer tuos quæso
Amiculos ne perde peste tam dira,
Sed pessimis iam pone versibus finem:
Sæuire vel si pergis, hostibus sæui.

AD VILLAM MARIANAM,
de Victoria Columna.

Salue magna domus, meæ Columnæ
Natalis, domus ô beata salue.
Hîcne vagiit illa Musa, doctis
Quam Phœbus decimam addidit Camœnis?
Cæli lumina vidit hîcne primùm
Cælo fœmina digna? digna celsis
Nasci & viuere in ædibus deorum,
Supra sidera sidus ipsa clarum.
O felix domus! hîc Minerua pulchras
Artes edocuit meam Columnam,
Hîc illi citharam dedit canorus
Apollo, Superáque (dixit) omnes,
O Victoria, fœminas canendo,
Quotquot magna tulit ferétque tellus:
At te ne superent nouem sorores,
Iouis progenies nouem sorores.
Fortunata domus, domus beata,
Audisti toties meæ Columnæ
Illa carmina, quæ mouere mentes,
Quæ vim sistere fluminum solebant.
Tibi Cynthia sylua sæpe, sæpe

Inuidit tibi Cyrrha, & antra Pindi,
Et fontes Heliconÿ receſſus.
Iactat Creta Iouem, ſuam Dianam
Delos inclyta, tu tua Columna
Gloriare domus beata. pace
Et Iouis liceat loqui & Dianæ,
Non Delo minor es, minórve Creta.

CATELLA AD REGINALDUM POLUM.

Cur me Pole tua venire ad vrbem
Lectica prohibes? tuæ quid (oro)
Summæ participem benignitatis
Eſſe non pateris? Canes bonorum
Heroum comites fuere ſemper:
Et cælum canis incolit ſupremum
Inter ſidera: nec polus, beata
Sedes cælicolum, ſuam catellam
Dedignatur habere ſecum. at ipſa
Sum deſpecta tibi, nec vnum apud te
Angulum valeo impetrare. Verùm
Si noſtram vacet æſtimare formam,
Non indigna tuo fauore credar.
Eſt pilus mihi lucidus, venuſtæ

Pendent auriculæ, nigris ocellis
Et caudæ placeo iubis comatæ.
Nec sum corpore vasta, nec figura
Tam breui, vt videar puellularum
Comes dignior esse quàm virorum:
Nec turpi scabie laboro, nec sunt
Inuisi pulices mihi molesti.
Nec sum prorsus inutilis futura,
Si lassam recreas vehísque tecum.
Nam pedes tibi suauiter fouebo,
Qui iam frigoribus rigent acutis.
Nec verò timeas, luto referta
Quòd via assiduè ambularim: amicus
Et cliens tuus optimus Morilla
Me suis manibus piè ac benignè
Puro flumine ter-quatérque lauit:
Et munda dedit esse mundiorem
Sponsa, quam bona mater ad maritum
Vult deducere nuptiis paratis.
Quòd si non satis hæc videntur esse
Ad flectendum animum tuum, catelli,
Ah nimis miseri mei catelli
Te precor moueant: tenella pleno
Quos gestans vtero, pedes mouere

Vix queo amplius: & tamen neceſſe eſt
Milliaria ſingulis diebus
Multa conficiam, miſella, ni te
Volo linquere. ſed prius vel iſtis
Optem filiolis meis ſepulchrum
Fiant viſcera matris, ipſa præda
Optarim prius eſſe vel luporum,
Quàm te maxime Pole derelinquam.

CATELLA IN MADIVM.

Quid efferate, quid Madi nequiſſime,
Catella feci blandula,
Cur me meóſque liberos crudeliter
Lingua proterua perderes?
per te ſceleſte factum vt aſperas quoque
Polus benignus in feras,
In me foret crudelis, ac meas preces
Ventis ferendas traderet,
Et quæ reliqui patriam & dulces lares,
Ne ſtulta vos relinquerem,
Afflicta, mœrens, ſemimortua cum meis
Linquor catellis in via,
Futura præda mox lupis rapacibus,

Turpíve

Turpíve coruorum gregi.
Nec forma rara, nec mihi fidelitas
Fauore digna profuit:
Nec pulchra proles, ventre quam gero, saxea
Mollire quiuit pectora.
Proles miſella, matre cum miſerrima,
Eheu tenebras horridas
Adibis Orci, antequam nata haurias
Iucunda cæli lumina.
Hoc vrit anxium cor, hoc multo mea
Me morte peius enecat.
At tu, catellam amabilem & mitiſſimam
Qui cæde perdis impia,
Madi, in moloſſum peßimum incidas precor,
Qui te deos inanibus
Votis vocantem laceret, ac membra omnia
Dente cruento differat.

DE LIBELLIS ANdreæ Naugerij.

Quot bruma creat albicans pruinas,
Quot tellus Zephyro ſoluta flores,
Quot ſpicæ Libycis calent in agris,
Quot vindemia porrigit racemos,

Quot vastis mare fluctuat procellis,
Quum nascens pluuias reportat Hædus,
Quot Ceraunia frondibus teguntur,
Quot cælum facibus micat serenum,
Quot sunt millia multa basiorum
Quæ dari sibi postulat Catullus,
Quótque sunt atomi Lucretianæ:
Tot menses bone Naugeri, tot annos
Viuent aureoli tui libelli.

AD ALEXANDRVM FARNESIVM.

Farnesi, pater omnium leporum,
Hos tibi lepidissimos poetas
Dono, tempora quos tulere nostra:
Fortunata nimis, nimis beata
Nostra tempora, quæ suos Catullos,
Tibullos, & Horatios, suósq;
Marones genuere. Quis putasset
Post tot secula tam tenebricosa,
Et tot Ausoniæ graues ruinas,
Tanta lumina tempore vno in vna
Tam breui regione Transpadana
Oriri potuisse? quæ vel ipsa
Sola, barbarie queant fugata

Suum reddere litteris Latinis
Splendorem, veterémque dignitatem.
Saluete ô decus, ô perennis æui
Noſtri gloria, candidi poetæ,
Qui nouem in tenero ſuō ſorores
Nutriuere ſinu, ſuóque digna
Choro Caſtalio loqui dedêre.
Vos & carmina veſtra ſempiterno
Vrbes Italiæ colent honore:
Vos & Gallus, Ibérque bellicoſus,
Et Germania docta, Sarmatæq;
Mirabuntur, & vltimi Britanni,
Erit dum Latiis honor Camœnis.
Quin vltra Oceanum, alteróque in orbe
Vos diſcent populi, quibus redit lux
Aurora exoriente, quum nigreſcit
Aer iam tenebris ſub axe noſtro.
Nam (mirabile dictu) in his quoque oris
Nunc linguæ ſtudium viget Latinæ.
At tu floſcule Romuli nepotum,
Quem Phœbus pater & Minerua doctis
Certatim artibus expolire gaudent,
Alexander, habe tibi hunc libellum,
Venuſtum, lepidum, tuáſque laudes,

Istis quæ celebrantur à poetis,
AEternas fore scito. nam manebit
AEterno aureolus libellus æuo.

AD HIERONYMVM TVRrianum, de morte Victoriæ Columnæ.

Cur desiderio modum & dolori
Me vis ponere Turriane? acerbo
Cui Victoria fato adempta, quæ me
Non minus quàm oculos suos amabat,
Qua nihil veniens ab vltimo Indo
Clarius meliúsve sol videbat:
Cui mens candida, candidíque mores,
Virtus viuida, comitásque sancta,
Cæleste ingenium, eruditióque
Rara, nectare dulciora verba,
Summa nobilitas, decora vultus
Maiestas: opulenta, sed bonorum
Et res & domus vsque aperta ad vsus.
Illa carminibus suis poetas,
Quotquot secula multa protulerunt,
Longè vicerat. illa vincit omnes,

Siue flebilibus modis maritum
Extinctum decorans, sepulchro ab imo
Summa ducit in astra, siue regi
Cælitum, vnigenæve regis hymnos
Filio canit. illa vel canendo
Ventos sistere, fluminum morari
Impetus, poterátque leniores
Tigres reddere mitibus columbis.
At tu surdior Adriæ procellis
Immitissima mors, manum rapacem
Illi es inijcere ausa, mors acerba
Tu solem Italiæ suum abstulisti.
Sed nil proficis: en meæ Columnæ
Fama sidere clarior refulget:
En Victoria cælitum beata
Vita nunc potitur, vagíque solis
Sub se lumina cernit, ipsa sole
Multo splendidiórque pulchriórque.
Ergo flebilibus modum querelis
Iamiam candide Turriane pono,
Ne plorem mihi iniquè amicus illam,
Quæ læto celebranda versu, & ipsi
Addenda est numero beata diuûm.

AD STEPHANVM SAVLIVM.

Candidißime Gratiarum alumne,
Ne charus tibi ſim, nec vlla ſigna
Amoris mihi mutui rependas,
Ni te plus amo quàm ſolet tenella
Vnicam genitrix amare natam.
Nec mirum: quid enim poteſt amore
Tuo dulcius eſſe? vel quis vllo
Fuit tempore dignus æquè amari?
Honores alius ſequatur, auri
Aceruum cumulet nitentis: ipſe
Sim beatior omnibus beatis,
Annuant modò cælites vt vnà
Tecum viuere, tecum obire poſſim,
Iucundißime Sauli, honore, & auro,
Et chara mihi charior ſalute.

AD GALEATIVM FLORIMONTIUM Philalethem.

Huc ades Galatee: quid moraris?
Eſt breuis via, ſæpiúſque dicis,
Cras ad vos veniam boni ſodales:

Nec venis tamen. An putas licere
Amicis dare verba? nos pudendum,
Et contra officium, tuóque bello
Id cognomine prorsus arbitramur
Indignum: hoc nisi vis ineptè abuti.
Huc ades Galatee: quid moraris?
Remiges Ithaci vagantis olim
Lotos detinuit Libyssa in ora:
Vt mulctralibus hæret vsque & vsque
Musca lactis amore, te beate
Senex quæ retinet domi voluptas?
Ecquid delicias tuæ Suessæ
Præfers deliciis mei Casertæ?
Deliras Galatee: nam Suessa
Longè pulchrior est amœniórque
Campanæ regionis hic ocellus,
Quem iocis comitata Gratiísque
Venus posthabita Cnido Paphóque,
Semper incolit, & suos amores,
Suas delicias fatetur. ergo
Huc ades Galatee: quid moraris?
Hîc sol splendidius nitet, Fauoni
Spirat mollius aura, suauiorem
Fert rosam & violam benigna tellus:

Hic est dulcior vua, dulciores
Ficus, & pepones: oliua baccas
Non solùm patriæ tuæ, sed ipsum
Venafrum superare gaudet. Ergo
Huc ades Galatee: quid moraris?
Ecce, caseolos tibi recentes
Atque hœdos geminos Hyella donat,
Formosissima caprimulga, Pani
Non impar caprimulga, siue cantat,
Seu leui calamo terit labellum.
Huc ades Galatee: quid moraris?
En, hospes meus, optimus Casertæ,
Quo Campania terra gloriatur,
Iam desiderium tui morantis
Nequit ferre: puella sic amantem
Votis ominibúsque lacrymísque
Absentem vocat. ah tuum Casertam
Ne quæso cruciare perge, sed iam
Huc ades Galatee: quid moraris?
Is quidem impatiens moræ molestæ
Ad te iam properasset, ægra membra
Ni vis debilitaret ipsa morbi:
Et tu tam diu abesse sustinebis?
Qui sola potes alloquutione

Febrim pellere candido ſodali.
Huc ades Galatee: quid moraris?
Non Phœbus (mihi crede) filiúſve
Phœbi cantibus hunc leuarit, herbis
Aut ſalubribus, æquè vt ipſe vultu
Iucundo & lepida dicacitate.
Ergo ſi tibi cura cari amici eſt,
Huc ades Galatee: quid moraris?
Te vocat domus ipſa, quam ſolebas
Iocis & ſalibus facetiíſque
Tuis exhilarare, te loquaces
Lymphæ, te vocat hortulus venuſtus,
Tuæ tam memor irrigationis,
Quàm lactis memor eſt tenellus infans.
Huc ades Galatee: quid moraris?
Non pandunt nitidæ roſæ per agrum
Formoſos calathos, hiare tardant
Flores luteolíque cærulíque,
Albi & purpurei: ſuos honores
Agellus tibi ſcilicet reſeruat.
Huc ades Galatee: quid moraris?
Si venis citò, carminum libellum
Oſtendam tibi, quem legens putabis
Te veſci ambroſia, & tibi repleri

Ora nectare. sin mea procellæ
Ferunt irrita verba, mox iambos
Expecta horribiles, amariores
Felle, absinthio, & omnibus venenis,
Quotquot Thessala nutrit ora, quotquot
Ponti terra creat. sed eia age eia,
Huc ades Galatee: quid moraris?

AD MATTHAEVM DANDULUM.

O brumæ mihi vere amœniores
Quibus Dandule chare te fruebar,
Antequam Latium petissem & vrbem.
Quum subit mihi candidarum imago
Illa noctium, & ille propter ignem
Sermo dulcis, & Attico lepore
Conditus, lacrymæ effluunt ocellis,
Vt riuus pluuia frequenti abundans:
Nec quicquam mihi suaue iam videtur,
Aut videbitur, vsquedum redire
Ad charum hospitium tuum licebit,
Quod Phœbus pater & nouem sorores
Et virtus celebrant, fidésque, honórque.
At donec procul à tuis ocellis
Me tenent superi parum fauentes,

Ne quæso pigeat meum dolorem
Te iocis releuare literarum.
Quanquam te patriæ, imperíque magni
Cura distinet, est tamen laborum
Quies, ingenuóque sunt (opinor)
Isthæc seria temperanda lusu.

AD PETRVM CARNESECVM.

O dulce hospitium! ô lares beati!
O mores faciles! ô Atticorum
Conditæ sale colloquutiones!
Quàm vos ægro animo & laborioso,
Quantis cum lacrymis miser relinquo!
Cur me sæua necessitas abire,
Cur vultum atque oculos, iocósque suaues
Cogit linquere tam venusti amici?
Ah, reges valeant opésque regum,
Et quisquis potuit domos potentum
Anteponere candidi sodalis
Blandis alloquiis facetiísque.
Sed quanquam procul à tuis ocellis
Iucundissime Carnecese abibo,
Regis imperium mei sequutus,
Non loci tamen vlla temporísve

Interualla tuos mihi lepores,
Non mors ipſa adimet: manebo tecum,
Tecum ſemper ero, tibíque ſemper
Magnam partem animæ meæ relinquam,
Mellite optime, mi venuſte amice.

AD FRANCISCVM TVRRIANVM.

Per tui Ciceronis & Terenti
Scripta te rogo Turriane docte,
Vt poſtridie adhuc rubente manè
Quum fœcundat humum decorus almo
Rore Lucifer, exiens Giberti
Domo ad me venias equo citato,
Ne tibi igneus anteuertat æſtus.
Hîc fontem prope vitreum ſub vmbra
Formoſi nemoris tibi parabo
Prandium Ioue dignum. habebis & lac
Dulce, & caſeolum recentem, & oua,
Et ſuaues pepones, nouáque cera
Magis lutea pruna. delicatos
Addam piſciculos, nitens ſalubri
Quos alit mihi riuulus ſub vnda.
Ad menſam vetulus canet colonus

Iocosissima carmina, & coloni
Quinque filiolæ simul choreas
Plaudent virgineo pede. inde ocellos
Vt primùm sopor incubans grauabit,
Iucundissime amice, te sub antrum
Ducam, quod croceis tegunt corymbis
Serpentes hederæ, imminénsque laurus
Suauiter foliis susurrat. at tu
Ne febrim metuas grauedinémve:
Est enim locus innocens. Vbi ergo
Hîc satis requieueris, legentur
Lusus Virgilij, & Syracusani
Vatis, quo nihil est magis venustum,
Nihil dulcius, vt mihi videtur.
Quum se fregerit æstus, in virenti
Conualle spatiabimur, sequetur
Breuis cœna, redibis inde ad vrbem.

AD IOANNEM FRANciscum Binum.

Quid horto, bone Bine, qui solebat
Plura carmina quàm rosas & herbas
Olim fundere, contigisse dicam?

Cur ex garrulo & eloquente factus
Iam sit Harpocrates? tamen nec illi
Desunt lilia, nec rosæ. ille grandes
Lactucas habet, ocymúmque: tortus
Abundat cucumis, rubent vbique
Fraga. quin & apis leui susurro
Illum prouocat ad canendum: at ipse
Quasi grandine verberatus esset,
Aut fur omnia sustulisset, odit
Iocum & carmina. scilicet sequuntur
Mores & domini instituta serui.
Dum tu carmina Bine amasti, & hortus
Ipse carmina amauit: at simul tu
Lucrum versibus esse præferendum
Putasti, hortus item studet lucello,
Et se diuitibus locat, meráque
Nugas carmina ineptiásque ducit.
At tibi malè sit malum lucellum,
Musæ pernicies malum lucellum,
Tua certè opera bonis facetísque
Horti carminibus diu caremus.

AD PETRVM VIPERAM.

Fortunate senex, senex beate,

Quo te carmine prædicare posſim?
Est domus tibi parua, sed supellex
Munda, lectulus elegans, tabellæ
Quæ suis oculos vel eruditos
Figuris teneant, cubiculúmque
Ornatum satis, & satis librorum
Magna copia, qui bene ac beatè
Docent viuere: mensa pura, victus
Simpliciſſimus: est tibi fidelis
Miniſter vetulus, sodalis idem,
Quicum fallere tempus & iocari
Soles suauiter: est enim facetus
Senex, blandus, amabilis, diſertus.
Hæc ad commoda tam beata magnum
Adiungit cumulum hortulus venuſtus,
Quem vel Corytius senex agello
Suo præferat, omniúmque dicat
Pater Nauſicaæ hortulorum ocellum.
Adde, quòd viridis tibi senectus,
Quòd mens candida, candidíque mores,
Quòd seſtertia quinque ab vrbe miſſa
Sunt satis tibi ſingulos per annos.
Abeſt ambitio, timórque lethi,
Et quicquid miseram facit senectam.

Nam Deo pietas amica, vitæ
Et morti bona cuncta pollicetur.
Fortunate ſenex, ſenex beate,
Quo te carmine prædicare poſsim!

DE DONO BENEDICTI Accolti Card.

Hanc pateram Chio ſpumantẽ, auróque nitentem,
Accoltus vati donat habere ſuo.
Ipſe meri partem libo tibi candide Liber,
Et partem libo pulcher Apollo tibi.
Vos pateram contrà Muſarum nectare dulci
Implete, & largè proluite ora mihi:
Accolto dignas vt ſoluam carmine grates,
Carmine, quod poſsit nulla abolere dies.

AD VLYSSEM BASSIANVM.

Ergo candide Baſsiane viuis?
O cara mihi carior ſalute,
Iucundiſsime Baſsiane, viuis?
Dulcis litera literis notanda
Aureis mihi, nuntiáſne verè
Meum viuere Baſsianum? at illum
Rumor dixerat eſſe iam ſepultum.

Rumor

Rumor peßime, penè me ſepulchro
Dediſti, mala tanta nuntiando.
O factum bene, Baßianus ille,
Phœbi deliciæ, perire nunquam
Dignus, en ſuperûm benignitate
Viuit. Flaminio tuo ſuperſtes
Viuas ô vtinam venuſte amice,
Nec de te mihi fama tale quicquam
Poſthac nuntiet. ipſe vitam in iſtam
Veni te prius, hinc prius recedam:
Te ſpectem moriens. meos tu ocellos
Chara claude manu, piis ſepulchrum
Humecta lacrymis, diúque viue.
Te ſuperſtite Baßiane chare,
Non omnis moriar, meíque magna
Pars viuet (mihi crede) adhuc ſuperſtes.

AD LVDOVICVM Becatellum.

Ne viuam, bone Ludouice, ni me
Et mei miſeret tuíque. nam quis
Deus vel mala ſors vtrunque ſemper
Captiuum tenet vrbis in tumultu?
Si nos ambitio, pecuniæve

Augendæ premeret ſitis, tacerem:
Sed quum diuitiis honoribúſque
Magnis otia præferamus, ah cur
Romam præferimus meo Lauino
Albinóque tuo? O venuſti agelli,
Muſarum domus, & quies laborum,
Tam longè mihi vita num manebit,
Vt meos ſatiare poſſim ocellos
Veſtro dulci & amabili decore?
O tandem, placida & beata rura,
Nos charum accipite in ſinum, nec vlla
Vis auellere poſſit: hîc & hœdo,
Et pomis, oleáque, penſilíque
Vua nos alite: & ſimul ſupremum
Tempus venerit, oſſa ſub virenti
Lauru condite, quâ fugit per herbas
Suauem riuulus excitans ſuſurrum.

AD DAMIANVM

Damianium.

O vinum tenue, aureum, ſuaue
Inſtar nectaris, ô merum deorum,
Vitæ præſidium meæ fugacis:
Cedant Pæoniÿ tibi liquores,

Et quicquid remedi ſalubrioris
Oſtendit medicæ repertor artis.
Iacebant lateris dolore membra
Semimortua, febris æſtuabat
Vt fornacibus ignis, ipſe plantas
Lethi limina dura transferebam,
Quum tu languidulos fluens in artus,
Cæleſtis liquor, & leuas dolorem,
Et vitam mihi reddis. Ergo docte
Damiane tuum merum, tuámque
Vineam, aureoli meri parentem,
Dulci carmine concinam, recepta
Vita dum ſuperat mihi: & rogabo
Votis aſſiduis Deum quotannis,
Ne venti pluuiæve, ſiccitáſve,
Aut vis grandinis, improbíve fures
Lædant aureoli meri parentem.

AD STEPHANVM SAVLIVM.

Ne tu beatum dixeris optime
Sauli, ſuperbo limine ciuium
Qui prodit hinc & hinc caterua
Nobilium comitante cinctus:

Non si feracis occupet Africæ
Quicquid prealtis conditur horreis,
Gemmásque lucentes, & auri
Possideat rutilos aceruos.
Nec ille felix qui valet omnium
Causas latentes cernere, fœdera
Notare doctus, & profundas
Ingenio penetrare terras.
Sed tu beatum iure vocaueris,
Qui mente pura rite Deum colit,
Eiúsque iussa ducit amplis
Diuitiis pretiosiora.
Non ille vulgi gaudet honoribus,
Sed charus ipsi numinis est honos,
Pro quo tuendo non recusat
Dedecorum genus omne ferre.
Quin & relictis cœtibus vrbium,
Mens eius altum transuolat æthera,
Deíque summi cælitúmque
Colloquio fruitur beato.
Cæleſtis ergo iam sapientiæ
Plenus, periclis altior omnibus
Quiescit in Deo furentum
Despiciens hominum tumultus.

Sic præliantes æquore turgido
Ventos reducto montis in angulo
Miratur, & gaudet procella
Terribili procul esse pastor.

DE HIERONYMO Sauonarola.

Dum fera flamma tuos Hieronyme pascitur artus,
Relligio sanctas dilaniata comas
Fleuit, &, O (dixit) crudeles parcite flammæ:
Parcite, sunt isto viscera nostra rogo.

DE IMAGINE Reginaldi Poli.

Si, velut egregia pictura maxime Pole
Est expressa tui corporis effigies,
Sic diuina tuæ potuisset mentis imago
Pingi, nil oculi pulchrius aspicerent.

EX ALIIS ITALIS excerpta carmina.

EX MARIO MOLSA.

DE VRBE ROMA A GERmanis non adeo pridem vastata.

Flagrati cineres si nunc Catilina videres
Imperij, & Latium consenuisse decus,
Tarpeiásque arces oculis Capitoliáque alta
Perlegeres, & quæ longa ruina tegit:
Protinus exclames, Odys exercita diuûm
Roma, manus tantum quæ potuere nefas?
Quàm melius nostris cecidissent ista procellis!
Haud alia fueras digna perire manu.

DE ROSTRIS NAVALIBVS in apum aluearia versis.

Ferrea rostra olim pressis erepta carinis,
Quæ Nili fractas testificantur opes,
Ecce, apibus parcis pandas præpandimus aulas,

Congesta redolent (quis putet?) æra thymo.
Cæsaris hæc ingens laus est, quo vindice, pacis
Iucundos fructus arma inimica ferunt.

EPITAPHIVM LASCARIS.

Lascaris hîc situs est Ianus, quo sospite, Graiûm
Res olim fractæ non potuere capi.
Hic etenim in Latium dilectas Pallade Athenas
Detulit, & gemino mox dedit ore loqui.
Sæpe etiam regúmque animos, populósque feroces
Cecropio flexit tum sale, tum numeris.
Annosi donec confectum viribus æui,
Exitio obrepens curua senecta dedit.
Felicem ante omnes, solio qui pulsus auito,
Tam procul hîc patria contegeretur humo.

IN POMPEII SEPVLCHRVM.

Dux Pharia quanuis iaceas inhumatus arena,
Non ideo fati est sæuior ira tui:
Indignum fuerat tellus tibi victa sepulchrum,
Nec decuit cælo te nisi, Magne, tegi.

EX IOANNE COTTA.

AD NAVGERIVM, ET IO. Baptistam Turrianum.

Iam valete boni mei sodales,
Naugeri optime, túque amice Turri,
Verè candidi & optimi sodales:
Quos nunquam sat amauerim, licet vos
Quàm fratres mage quámque me ipsum amarim.
Quibus perpetuum frui per æuum,
Vota si mea dii audiant benigni,
Sit vna ampla animi mei voluptas.
Verùm dura necessitas repugnat,
Inuitúmque alias adire terras
Cogit, atque alios parare amicos.
Vos ergo memores mei este: vestri
Fixam in pectore imaginem, bonámque
Vobis partem animæ meæ reliqui.
Iam valete boni mei sodales,
Dulces, candiduli & boni sodales.

EIVSDEM (AVT CORNELIJ Castalij) ad Veronam.

Verona, qui te viderit,
Et non amarit protinus
Amore perditiſsimo,
Is (credo) ſeipſum non amat,
Carétque amandi ſenſibus,
Et odit omnes gratias.

EX PETRO BEMBO.

FAVNVS AD NYMPHAS.

Dicite cur noſtros Nymphæ fugiatis amores:
Quid Faunus, quo ſic deſpiciatur, habet?
Cornua ſi mihi ſunt, ſunt & ſua cornua Baccho:
Inque ſinus vocat hunc Creſſa puella ſuos.
Ignea ſi frons eſt, annon frons ignea Phœbo eſt?
Hoc tamen eſt Clymene facta parente parens.
Barba riget ſuffuſa genis? dedit improba ſæpe
Oſcula barbato Deianira viro.
Intonſo denſóque tegor præcordia villo?
Nil ideo Marti eſt Ilia queſta ſuo.

Capripedem arguitis? quid claudo turpius? at tu
Nupsisti claudo Cypria pulchra deo.
Denique si qua meæ pars est non bella figuræ,
Exemplum à cælo, quod capiatis, habet:
Sed vos nimirum mortalia, facta sequutæ,
(Omnis quando auro conciliatur amor)
Pastorum & pecoris tenui custode repulso,
Quæritis à magnis munera magna deis.

POLITIANI EPITAPHIVM.

Duceret extincto quũ mors Laurente triumphũ,
Lætáque pullatis inueheretur equis,
Respicit insano ferientem pollice chordas,
Viscera singultu concutiente, virum.
Mirata est, tenuítque iugum: furit ipse, pióque
Laurentem cunctos flagitat ore deos.
Miscebat precibus lacrymas, lacrymísque dolorem:
Verba ministrabat liberiora dolor.
Risit, & antiquæ non immemor illa querelæ,
Orphi Tartareæ quum patuêre viæ:
Hic etiam infernas tentat rescindere leges,
Férque suas (dixit) in mea iura manus?
Protinus & flentem percussit dura poetam,

Rupit & in medio pectora docta sono.
Heu sic tu raptus: sic te mala fata tulerunt,
Arbiter Ausoniæ Politiane lyræ.

HERCVLIS STROZZAE epitaphium.

Te ripa natum Eridani Permessus alebat,
Fecerat & vatem Márſq; Venúsque suum:
Iniecere manus iuueni, & fatalia duris
Stamina pollicibus præsecuere deæ.
Vxor honorata manes dum conderet vrna,
Talia cum multis verba dedit lacrymis,
Non potui tecum dulcem consumere vitam:
At iam adero amplexans te cinerem ipsa cinis.

CHRISTOPHORI LONGOLII epitaphium.

Te iuuenem rapuere deæ fatalia nentes
Stamina, quum scirent moriturum tempore nullo
Longoli, tibi si canos seniúmque dedissent.

IACOBI SANNAZARII EPIT.

Da sacro cineri flores: hic ille Maroni
Syncerus musa proximus, vt tumulo.

LEONICI TOMAEI EPITAPH.

Naturæ ſiquid rerum te fortè latebat,
Hoc legis in magno nunc Leonice Deo.

EPIT. THIBALDAEI.

Quæ ripis te ſæpe ſuis ſtupuere canentem
Eridanus Tiberíſque, parens ille, hic tuus hoſpes:
Credibile eſt, vates Antoni, nunc quoque ſyluis
Te canere Eliſÿs, turba admirante deorum.

EX BALTHAS. Caſtilione.

DE MORTE RAPHAELIS pictoris.

Quòd lacerum corpus medica ſanauerit arte
Hippolytum, Stygÿs & reuocarit aquis,
Ad Stygias ipſe eſt raptus Epidaurius vndas:
Sic pretium vitæ mors fuit artifici.
Tu quoque dum toto laniatam corpore Romam
Componis miro Raphaël ingenio,
Atque vrbis lacerum ferro, igni, annſq; cadauer
Ad vitam, antiquum iam reuocáſque decus:
Mouiſti ſuperûm inuidiam, indignatáq; mors eſt
Te dudum extinctis reddere poſſe animam.

Et quod longa dies paulatim aboleuerat, hoc te
Mortali spreta lege parare iterum.
Sic miser heu prima cadis intercepte iuuenta,
Deberi & morti nostráque nósque mones.

EPITAP. GRATIAE PVELLAE.

Siste viator, ni properas, hoc aspice marmor,
Et lege: ni plores, tu quoque marmor eris.
Gratia (nanque deas etiam mors sæua profanat)
Mortua, & hoc duro est condita sub tumulo.
Abstulit hæc moriens geminas miseranda sorores,
Sic Charites vno tres periere obitu.

Ex M. Antonio Casanoua.

DE BRVTO.

Natorum cæde orbasti te nomine patris,
Cerneret vt verum te tua Roma patrem:
Et semel optasti pulchram per vulnera mortem,
Vt nullo posses tempore Brute mori.

DE EODEM.

Cæsaris & Bruti sacratum sanguine ferrum,
Officium patriæ præstitit, & domino.
Vna pium cædes ostendit, & altera fortem.
Non alio Cæsar debuit ense mori.

DE LVCRETIA.

Dicite, quum melius cadere ante Lucretia posset,
Cur potius voluit post scelus illa mori?
Crimine se absoluit manus illa, habitura coactæ
Vltorem, & patriæ depositura iugum.
Quàm bene contempto satiat sua pectora ferro,
Dum pariter famæ consulit & patriæ.

DE HORATIO ET FABIO.

Seruasse hanc cursu memoratur Horatius vrbem,
At Fabius sola restituisse mora.
Tam bene cunctari qui posit, non erit vllus:
Tam bene qui posit currere, nullus erit.

DE HOMERO.

An Smyrna est quæ te nascentẽ excepit Homere?
Anne fuit vatem quæ tumulauit Ios?
Altera nomen habet violæ, tenet altera myrrhæ.
Fata tuum his decorant ortum obitúmq; locis.
Quid magis est quod te diuine deceret Homere,
Quàm nasci in myrrha, decidere in viola?

IN STATVAM PROPERTII.

Pallida quòd nimium malè pinxerit ora Properti,

Ne (precor) artificem carpite: talis eram.
Finxit enim duræ mœrentem facta puellæ:
Aruerat sanguis, fugerat ore color.
Hac ego marmoreos sumpsi de Gorgone vultus.
Huius eram viuus: mortuus huius ero.
Vsus abest vitæ tantùm: verùm hũc quoq; & olim,
Alterius viuens pectore, non habui.

DE EVRYDICE.

Nulla suos vxor melius iactabit amores:
Nam mori, vt Eurydice, bis bene nulla potest.
Et si fortè mori cuiquam bis posse daretur,
Eurydice fieri non tamen vlla velit.

EX IANO VITALI.

DE ROMA ANTIQVA.

Qui Romã in media quæris nouus aduena Romæ,
Et Romæ in Roma nil reperis media,
Aspice murorum moles, præruptáque saxa,
Obrutáque horrenti vasta theatra situ.
Hæc sunt Roma. vidén' vel vt ipsa cadauera tãtæ
Vrbis adhuc spirent imperiosa minas?

Vicit vt hæc mundum, nisa est se vincere: vicit:
A se non victum nequid in orbe foret.
Nunc victa in Roma Roma illa inuicta sepulta est,
Atque eadem victrix victáque Roma fuit.
Albula Romani restat nunc nominis index,
Quinetiam rapidis fertur in æquor aquis.
Discе hinc quid possit fortuna: immota labascunt,
Et quæ perpetuò sunt agitata, manent.

BLONDI EPITAPH.

Eruis è tenebris Romam dum Blonde sepultam,
Es nouus ingenio Romulus atque Remus.
Illi vrbem struxere rudem, celeberrima surgit
Hæc eadem studiis, ingenioſe, tuis:
Barbarus illam hostis ruituram euertit, at isti
Nulla vnquam poterunt tempora obesse tuæ.
Iure triumphalis tibi facta est Roma sepulchrum,
Illi vt tu viuas, viuat vt illa tibi.

LEON. BAP. ALBERTI EPIT.

Albertus iacet hic Leo, Leonem
Quem Florentia iure nuncupauit,
Quòd princeps fuit eruditionum,
Princeps, vt leo solus est ferarum.

PETRI

PETRI GRAVINAE EPIT.

Hanc tibi pro tumuli Ianus Vitalis honore
Ramosam laurum magne Grauina dicat:
Hic vbi odorata manes requiescere in vmbra
Floribus in mediis & iuuet esse tuos.
Illa, Notis quoties rami quatientur & Euris,
Perstrepet in laudes sancte poeta tuas.

CAMILLI QVERNI ARchipoetæ epitaphium.

Laurus, brassica, pampinus, coronam
Contextæ simul hinc pares in vnam,
Deflent interitum sui poetæ,
Quinimmo archipoetæ: & hinc lagenæ,
Scyphique, & cyathi, amphoræ, vrceique,
Queruntur lepidum suum patronum,
Pro dulci modò Cretico & Falerno
Exhaurire acidas Stygis lacunas,
Et sales periisse Quernianos,
Dum vitæ sibi prodigus molestæ,
Fodit viscera forfice. ô seuerum
Nostri temporis Appulum Catonem.

THOMAE MORI EPITAPH.

Dum Morus immeritæ ſubmittit colla ſecuri,
Et flent occaſum pignora chara ſuum:
Immò (ait) infandi vitam deflete tyranni.
Non moritur, facinus qui graue morte fugit.

EX ANT. TIBALDEO.

MARVLLI TARCHANIOTAE epitaphium.

His ſitus eſt celebris cithara gladióq; Marullus,
Qui Thuſco (heu facinus) liquit in amne ani
Neptune immitis, meruit ſe mergier ille, (mam.
Mergier Aonio flumine debuerat.

LASCARIS EPITAPH.

Laſcaris hîc Graium ſpecimen, ne crede cadauer
Illius eſſe ſub hoc marmore, ſed ſtatuam.
Altera quippe fuit Niobe: dolor impius illam
Natorum, hunc podagræ tranſtulit in lapidem.

MIRANDVLAE EPITAPH.

Ioannes iacet hîc Mirandula: cætera norunt
Et Tagus & Ganges, forsan & Antipodes.

HERC. STROZZAE EPIT.

Herculis hic Strozzæ tumulus, quẽ condidit vxor
Taurellæ mœrens Barbara gentis honos.
Plus dederit quanuis, non hac, Mausole, meretur
Plus tua. fortuna hæc, non pietate, minor.

EX EPIGRAMMATIBUS Benedicti Theocreni.

DE GVL. BVDAEI FILIA.

Sparge rosas, hospes: virgo hîc Budæa sepulta est,
Et desiderium & maxima cura patris:
Budæi patris, æternum cui Roma & Athenæ
Iampridem certant conciliare decus.

Hoc vno facta est mors ipsa inuisior ictu:
Nam miserum in nata perdidit illa patrem.

DE ROGERIO BARMA, præside.

Nil iam flere potes, huius quicunque sepulchri
Lumina ab aspectu sicca referre potes.
Hîc non Barma vnus, verùm vnà conditur omnis
(Hócne parum ad lacrymas?) gloria lúxq; fori.
Vnà etiam (ne sola fleas incommoda legum)
Conticet Aonidum penè sepultus honos.
Adde fidē, & quicquid demissum cælitus olim est.
O celebrem vnius funeris inuidiam!

DE COMETE QVEM LVDOuica à Sabaudia, spectauit.

Infestum sibi quum sciret Ludouica cometem,
Séque peti illius crinibus horrificis:
Spectauit tamen intrepidè, vultúque professa est
Monstrari ad cælum iam sibi morte viam.

DE SEMELE FRANcisci regis.

Quis spirare Iouem neget hoc in marmore viuum?

Marmore in hoc Semelen quis neget exanimẽ?
Nil non consequitur veterum solertia, quando
Vna animam artificis dátq; adimítque manus.

DE REGE, FERIENTE SAgitta cornicem.

Quum summa exanimẽ deiecit ab arbore magni
Cornicem regis missa sagitta manu:
Non vt tam certo laudem sibi quæreret ictu,
Rex ideo in miseram spicula sumpsit auem:
Sed potius certum se delatoribus hostem,
Illius ostendit scilicet exitio.

DE REGE FRANCISCO, & eius matre.

Certauere diu rex Francus & inclyta mater,
Vtrius pietas gloria prima foret.
Tam dulcem amborum litem mors morte diremit
Vnius, vt doceat cuncta licere sibi.
Nil tamẽ effectum est: pietas vtriusque manebit,
In pretio nomen dum pietatis erit.

DE EPIGRAMMATE GERMANI Cæsaris, per Franciscum regem verso in Gallicum sermonem.

Thrax puer, oppressit glacies quem perfida, mortẽ
Dum queritur Parcas præcipitasse suam:
Responsum est, Mors ista tibi reparabitur olim
Vita alia, cui det mors superata manus.
Dicta fides sanxit: Graio mox carmine Cæsar
Fallaci raptum te miseretur aqua.
Post aliquot simili studio rex secula natus,
Franciscus patrijs flet tua fata modis.
Felix cui reges pensarunt tempora vitæ,
AEternúmque fuit viuere, non morier.

EX

EX IOANNE SE-cundo, Hagienſi.

IN PETRVM QVENDAM.

Quum tu ſis leuior volante fronde,
Pluma, cortice, quique ſole puro
Per leues atomi feruntur auras,
De petra tibi nomen hoc parentes
Mirabar tribuiſſe ponderoſum:
Sed petram quoque pumicem vocamus.

IN IMAGINEM HERCVLIS, Cupidinem tergo geſtantis, ac propè ſuccumbentis oneri.

Antè quibus cælum fuerat leue pondus, eiſdem
Nunc grauis eſt humeris ſarcina paruus Amor.

IN CHARINVM DEFORmis vxoris maritum.

Nuper Charine coniugem
Vidi tuam, tam candidam,

Tam lacteam, tam floridam,
Cultam, modeſtam, blandulam:
Vt ſi mihi tales bonus
Conceſſerit tres Iuppiter,
Diti daturus ſim duas,
Auferret vt ſuperſtitem.

IN MEDICVM SICARIVM & veneficum.

Es ſimul medicus, ſimul cherurgus.
Cur? mittis Stygium viros ad Orcum
Et manu ſimul, & ſimul veneno.

IN ANTONIVM MOSSICAM cum tauro pugnantem.

Incauto iuueni taurus ruit obuius, ille
Corripit iniecta cornua bina manu:
Præcipitíſque feræ curſum confregit & iras,
Et iam fracturus cornua viſus erat.
Noluit: Alcidæ dedit hoc: ne fama taceret
Voluat adhuc mutilas cur Achelous aquas.

DISTICHON ENSI inſcriptum.

Pro domino ſontem mihi fas haurire cruorem,

Quum furor innocuum iustus in arma vocat.

INSCRIPTIO IMAGINIS formosæ virginis, ad viuam effigiem à semetipso cælatæ.

Ferripotens melius poterat Mars ducere cæla,
Sed Veneris vinci non tulit ora suæ.

IN CAROLVM QVINTVM Imperat. P. E. Aug. quum in Aphrica pugnaret.

AEneæ sanguis, formosi sanguis Iuli
Carolus, in regnum venit Elisa tuum,
Vindicet à sæuo pius vt tua busta tyranno,
Armatas ducens per freta mille rates.
Illius auspiciis prisco reddentur honori
Mœnia, Romana quæ cecidêre manu.
Ergo age, in AEneadas odium fatale remitte,
Spectatúmque veni Cæsaris ora dei.
Crede mihi, dices, Huius si ardore perissem,
Causa meæ fuerat mortis honesta magis.

IN DISCESSVM SVVM EX Hispania, quum regionis aere offensus, grauissimè laboraret.

Hesperiæ fines arentes linquimus ægri,

Et petimus blandæ dulce ſolum patriæ:
Et, quorum in manibus melius moriemur, amicos.
Cur inuiſa meum terra moraris iter?
Cur mihi tot montes & ſaxa obſtatis eunti?
Vere quid in medio me fera pulſat hyems?
Ninguida diluuium mittit liquefacta Pyrene,
Et madidus pluuias Iuppiter addit aquas.
Parce meo cineri. iam non Hiſpania viuo:
Quid iuuat (heu) manes ſollicitare meos?
An verò, paucis quum ſis fœcunda poetis,
Laudem de tumulo quæris acerba meo?
Vt lubet: ipſe tamen fugiam terráque maríque,
Ne mihi ſis etiam poſt mea fata grauis.

IN CAROLI QVINTI Imperat. natalem.

Cur niue Cæſareus gelida natalis inhorret?
Candida vti foret hæc lux voluêre dei.
Cur igitur Phœbus latet aureus? haud opus illo eſt:
Phœbeum fundit Cæſar ab ore iubar.

AD ANDREAM ALCIATVM, quum ipse & Adrianus Marius frater, personati figura solis ac lunæ, noctu ad eum veniissent.

Aureus en Phœbus, soror en argentea Phœbe,
Iungunt diuersas nocte silente faces.
Alciate hunc tribuũt tibi numina lucis honorem,
Cuius in æterna luce vigebit honos.
Miraris nigra Phœbum te visere nocte?
Oppositio laudes audiit orbe tuas.

IN QVENDAM EX TEMPORE versus facientem.

Dum te cuncta vident arcta constringere lege,
Effugiunt linguam verba soluta tuam.

IN QVENDAM.

Dum tu elegos dicis quæ heroica carmina scribis,
Dignus eras veros qui faceres elegos.

IN BVBALI MALI POETAE ineptum carmen de morbo suo, quod Morbilogum appellauit.

Bubalus ægrotat: Pæan succurre poetæ,

Ne, quoties languet, tam mala verba vomat.

IN COMMENTARIOS CVIVSDAM in somnium Scipionis.

Longo Scipiadæ sopore mersi
Scripsit somnia Tullius disertus,
Nigra somnia nigriora nocte.
At noster modò somnijs repertus
Interpres facilis tenebricosis,
Petrus occidua profectus ora,
Tandem illa explicuit nitore multo,
Clara somnia clariora luce.
Sic iam sic vigilant vterque vatem
Per nostrum, Ciceróque Scipióque.

EPITAPHIVM DESIDERII Erasmi Roterodami.

Defunctus vita longíque laboribus æui,
Hac situs est tandem doctus Erasmus humo.
Quem licet in sera rapuerunt fata senecta,
Et vitæ saturum sopijt alta quies,
Nos tamen hunc, velut immaturo funere raptum,
Flemus, & effusis diffluimus lacrymis.
Ille igitur perijt, & quondam illa illa diserta

Et dulci manans nectare lingua tacet.
Ingeniúmque ſagax, & amor virtutis & æqui,
Omnia ſub paruo condita ſunt tumulo.
Illum igitur canos virtus lacerata capillos,
Et Charites lugent, luget & ipſa Fides.
Collectáſque roſas Permeſſi ad flumina Nymphæ
Inſpargunt ſacro Pierides tumulo.

IN ARCEM REGINAE Albæ, Pariſys.

Cernite, flauentes vbi voluit Sequana lymphas,
Semirutam, fertur quam coluiſſe, priùs
Effera funeſtæ regina libidinis, arcem,
Nunc vltore mali vt tempore ſola iacet:
Et quaſſata vndis, ventis habitatur & imbri,
Multa vbi ferales nocte querantur aues:
Cypris vbi mitis, flammas exoſa cruentas,
Chaonias ſedem ponere nolit aues:
Quâ ſtrix, quâ furiæ volitêt, quâ plurima fatum
Exululet raucis queſtibus vmbra ſuum.
Sic domus æternum numeroſæ conſcia cædis
Impia laſciuæ facta luit dominæ.
Labuntur, lentis & condemnata ruinis

Implorant hominum pendula saxa manus.
Implorant frustra: stant hæc rata lege seuera,
Instauratricem ne ferat vllus opem,
Aut subeat gladios, pretium pietatis iniquæ.
Et quis adhuc ausit facta nefanda sequi?
En etiam saxis mortem censura minatur,
Longáque post cineres stant monimenta mali.

EX EIVSDEM SECVNDI libro Funerum.

EPITAPH. IOANNAE FONtanæ, Bituricensis, matronæ clariß.

Hospes, Ioannæ hoc Fontanæ habet ossa sepulchrũ.
Hanc Venus & Iuno flent, simul & Charites.
Matronale decus Iuno, Venus aurea formam,
Illius extinctam flent Charites charitem.
Nobilitatem & opes ab origine duxit auita,
Virtutem variam mens generosa dedit.
Splendida de puro gestabat nomina fonte,
Qui (puto) Pegaseo de pede fudit aquam.
Pectora crystallo pellucidiora gerebat:
Nouerat & quicquid Franca poesis habet.

Docta melos digitis liquido seu fundere cantu,
Quale canit dulci gutture serus olor.
Non ignara iocos, & non ignara choreas:
Docta loqui blandum, sed magè docta fidem.
Moribus his visa est dignissima coniuge, cuius
Sæpe tulit facilem regia charta manum.
Nupta cui primo viridantis flore sub æui,
Enixa est socij pignora quinque thori.
Cum quo communi partita est omnia fato,
Forsitan & cuperet nunc quoque flere simul:
Mitius vt ferret diuisos ille dolores,
Inconsolandos qui modò dat gemitus.
At vos mortales, quorum non læserat vllum,
Ferte rosas illi, quæ rosa nuper erat.

Ex eodem Funerum libro est Epitaphium Erasmi quod habes suprà, pag. 204. & 205.

EX EPIGRAMM. Henrici Stephani.

IN PAVLVM.

Scis cur me dominum, famulũ te Paule vocarim?
Ipse χωαικοκρατῶ, Paule χωαικοκρατῆ.

IN EVNDEM.

Fama volat paſsim, mentem tibi Paule labare:
Sed famam de te pernego vera loqui.
Non equidem ſanæ quòd mentis te rear eſſe:
Sed tibi mens nulla eſt: quî labet ergo tibi?

IN POSTHVMVM.

Conuiuis dubiam dico te apponere cœnam
Poſthume: ſed dubiam nomino more nouo.
Non etenim dubia eſt, cœna vt fait illa Terenti,
Quum dubitat primum quem velit eſſe cibũ:
Sed quoniã hanc dubitat quiſquis cœnatus abiuit,
Verè an per ſomnum ſit data cœna ſibi.

IN

IN QVENDAM.

Vestimenta omni prius è regione petebas,
Quótque dies, formæ tot tibi vestis erant.
Gallica vestis erat, mox Anglica, mox & Iberà:
Móxque aliam vestem Turcica terra dabat.
At lacera hæc gestas quæ pallia, dic mihi, quæso,
Morem, agè dic, cuius nunc regionis habent?

DE GENTILI PRAESIDE, quum in carcere esset, ex quo eductus, patibulo affixus est.

Quidam Gentili, Deus his dabit, his quoque finē;
Dixit, solamen talia verba putans.
Ille autem cōtrà, Deus his dabit, his quoq; funem.
Sic malè conscia mens præscia ménsque fuit.

IN PAVLVM.

Optabis quoties quatiat mihi pectora tussis,
Et mihi corripiat multa grauedo caput:
Scriptorum toties recitator Paule tuorum
Sis mihi, quæ quauis frigidiora niue.
Sed commune tuis cum multis est tamen istud:

Quoddã etiam proprium tetrius éſtque malũ.
Noſtra, his auditis (contagio quanta rigoris!)
Feruida quæ fuerat vena, repentè riget.

IN POSTHVMVM.

Nemo tua è menſa crudus Philotime recedit.
Quid mirum? campus nam tua menſa Famis.

IN QVENDAM OPIBVS SVperbientem, & tamen ſordidè viuentem.

Arca tibi nummos, veſtes, gemmáſque recondit,
Horrea frumenti pondere preſſa ruunt.
Diuitis hinc titulum ſumis, ſumis quoque faſtũ.
A me ſed contrà tu vocitaris inops.
Nam quæ inopes faciunt, eadem facis, & propè plura.
Dictíſne an factis eſt adhibenda fides?

DE EODEM.

Ille ſibi ſoli natus, ſibi commodus vni,
Immò nec natus creditus eſſe ſibi,
Quíque quod argenti pondus ſeruabat & auri,
Illi, vt depoſito, parcere ſuetus erat:

Illo est præterita spoliatus nocte: suásque
Surreptas lacrymans vociferatur opes.
Immò equidẽ saluæ sunt hæ tibi. nã minor harum
Nunc vsus non est quàm fuit antè tibi.

DE QVODAM ABBATE.

Crassus quidam Abbas (cui moles corporis ingens
Tota erat abdomen, totáque venter erat)
Mandibulis fessis, fesso iam gutture, fessus
Ipse cibo tamen est, non satiatus adhuc.
Sed medius ne fortè crepet, videt esse periclum:
(Nanque cutis mage quàm tympana tẽsa fuit)
Tum, Quid ago? quid ago? comedendo me eneco,
dicit.
Latrante at contrà sic famulus stomacho,
Ah here mi, per eum quo te complector amorem,
Quæso, mori tecum me sine morte pari.

DE MEDICIS, AD FAVstinum medicum.

Se medici bene habẽt tum demũ quũ malè multi
Quóque valent plures, ars valet illa minus.
Ergo velis cunctis bene si Faustine precari,
Nempe necesse tibi est ipse precere malè.

AD PAVLVM.

Inuitari à te mihi ſum per ſomnia viſus,
Mox veram ſurgens ſentio ventre famem.
Verè inuitato qualem tua cœna relinquet
Paule famem, quam eius ſola vel vmbra ciet?

IN QVENDAM QVI SE iactabat quòd eodem famulo iam ab annis multis vteretur quo & pater antea vſus eſſet.

Cum patre permanſit, tecũ quoque permanet idẽ,
Parmeno qui meritò dicier inde poteſt.
Vnde adeo eſt conſtãs? non quòd facilis pater antè,
Túque itidem non ſis imperioſus herus.
Sed mercedem illi pater vt tuus antè negauit,
Sic tu poſcenti ſæpe, negare ſoles. (renti,
Atque ita dúmque tibi famulatur, dúmque pa-
Spe manet ἤμισυς, re ſed ἄμισθος erit.
Denique (vera loqui liceat mihi) Parmeno verè
Non famulus, famuli ſed tibi μισθὸς erit.

IN POSTHVMVM.

Te ſæpe excuſas, non accuſatus ab vllo:

Sic tu te accusas, Posthume, crede mihi.

IN EVNDEM.

Tu semper loqueris, sermo quicunque mouetur,
Posthume, posse nihil ne videare loqui.
Hinc tibi contingit ratione carentia multa,
Hinc tibi contingit multa tacenda loqui.
Posse loqui es dictus, satis es iam Posthume dictus:
Nunc quæso dici posse tacere velis.

IN QVENDAM QVI PRIMAM vocis Facetus syllabam produxerat.

Ille, poetarum quos secula nostra tulere
Magnus Aristarchus (iactat vt ipse quidem)
Versibus in paucis, quos iam declamat vbique,
Facetus scripsit: nónne facetus homo est?

IN QVENDAM MEDICVM.

Turges, humanæ quòd te quidam esse salutis
Propugnatorem dixerit egregium.
Quid turges? errans hoc nomine lingua vocauit,
Expugnatorem dicere dum voluit.

IN EVNDEM.

Horrisonum ingrediens medicus ructum edidit,
& mox
Fœdauit vomitu méque meúmque thorum.
Ad se autẽ rediens, Vomitus tibi cõmodus, inquit:
Téq; meo exemplo prouoco (cerne) satis.

IN EVNDEM.

Relliquias morbi medico sentire querebar:
At purgaui, inquit, te tamen egregiè.
Purgasti nummis, emunxistíque, fatebor:
Et vacui testes hi tibi sunt loculi.

IN EVNDEM.

Aureus es medicus, medicúsque es ferreus idem.
Audi qua vera hæc sint ratione duo.
Aureus es, magna quòd sis πολύχευδος in arca:
Ferreus & ferus es, quòd χροπλοιχὸς Ἄρης.

IN POSTHVMVM.

Ridenti es similis, sed rides Posthume nunquam:
Mirum si arridet Posthume nemo tibi?

IN GELLIAM.

Esse quidem non vis, sed vis tamen esse videri
Casta, & matronæ nomen habere cupis.
Matronis ideo sæpe es taciturnior ipsis,
Sæpe vt pisce taces Gellia muta magis.
Non mirum linguæ si multa repagula ponis,
Quæ reserata nequit nil nisi turpe loqui.

IN EANDEM.

Quàm casta est meretrix, tam tu quoq; Gellia casta es,
Quámque pudica olim Thais habenda fuit.
Et matrona tamen vocitari Gellia cupis,
Quũ nullus tecum est Pãphilus, aut Staphylus.
Sícque videre tibi posse hunc componere vultum,
Matronæ vt nomen nemo negare velit.
Quinetiam didicit quantumuis lingua proterua
Inter matronas nulla tacenda loqui.
Sed tibi sunt oculi meretricis more loquaces:
Hos prohibere nequis multa tacenda loqui.

DE QVODAM EPISCOPO.

In medijs epulis audi quid episcopus olim
Sit questus, teneris non sine lacrymulis.

Mensa referta fuit capis præpinguibus: inde
Non turdus, perdix, non aberátque lepus.
Deliciásque suas ipsa India miserat illuc,
Phasis & ipse suas accumularat aues.
Denique cœna fuit quæ verè regia dici
Posset, vel potius posset episcopica.
Sed tamen hunc talis subeunt fastidia cœnæ,
Illius vlla satis nec sapit esca gulæ.
Appetit atque petit peregrina cibaria quædam,
Quæ natura loci quaq; negabat hyems.
Tandem iræ impatiens, Ah sancta ecclesia mater,
Clamat, io pro te quot mala perpetimur.
Dicite pontifices, aut libri pontificales,
Aut vos doctores dicite Seraphici,
Dicito subtilis qui doctor dictus es olim,
Aut tu à sorbendo quæ schola nomen habes,
Quænam sit, qualis sit, vbínam ecclesia, pro qua
Talia qui patitur, martyr habendus erit.

DE QVODAM DISTICHO in Venetias olim scripto.

Peruulgatum olim fuit hoc passímque receptum
Distichon (autoris nomen in ambiguo est)
Vrbe quòd in Veneta scortorum millia tot sint,

In promptu causa est: est Venus orta mari.
Postmodo nescio quis, iactata hæc tempore longo,
Reddidit incudi, sicq; reficta dedit,
Formosæ Veneta cur sint tot in vrbe puellæ,
In promptu causa est: est Venus orta mari.
Quæro vter istorum Venetæ magis vrbis honori
Consulat (est tamen hîc si situs vrbis honos)
Vtrum formosas Veneri qui adiudicat omnes,
An qui scorta illi sola dicata putat.

IN QVENDAM.

Iactas te naso quòd sis vt Cyrus adunco:
Adde, Midæ regis quòd geris auriculas.

IN PONTICVM.

Est pretiosa tibi (dicis) supra omnia virtus.
Sed certè verbis est pretiosa tenus.
Nam factis monstras, pretium pretiosius omni
Virtute esse tibi Pontice vel minimum.

DE MONACHIS.

Sunt monachi nequam. nequã non vnus & alter:
Præter Petrum omnes: est sed & hic monachus.

DE LIBRO QVODAM QVO variarum linguarum elementa tradebantur.

De varijs librum linguis simulatque tuetur
Quidã (Arabũ lingua hîc, Indica lingua fuit)
O stultum scriptorem, inquit, quicunq; sit autor:
Qui nec quæ pueris sunt bene nota, sciat.
Ille bouillam etenim (sale quæ condita peritè,
Princeps linguarum est) eximit è numero.

AD PHILIPPVM.

Esse hominem nimij te somni, semper apud me
Conquereris, pauci me queror esse nimis.
Conditio nobis est permutanda Philippe,
Te curas posthac suscipiente meas.
Certè in vtrãque aurem mihi tũ dormire licebit,
Ac vtroque tibi tunc vigilare oculo.

DE SENTENTIA PRONVNtiata à quodam rustico.

Nidorem ad carnis quæ torrebatur, edebat
Quidam (opsonandi copia nulla fuit)
Cuius erant carnes, hunc flagitat improbus æra-

Hic autem multo denegat improbius.
Ad pugnos res ducta foret: sed transiit illac
Rusticus: in media est arbiter is platea.
Respondet, Si nil nidorem acceperit vltra,
Præter nummorum det nihil ille sonum.
O (licet haud libros solitum versare, sed agros)
Docta & subtili rusticitate virum!
Quid respondisset melius ve vel æquius vnquam
Iurisprudentum tota cohors veterum?
Ergo à stiua homines reddenda ad iura vocatos
Romulidis quondam, nunc mihi credibile est.

IN AVLVM.

Paulus, ait, nihili est, Paulo tamen inuidet Aulus.
In nihilo nihil est Aule quod inuideas.

DE MARCO.

Non bene se sanum, cerebrosum se quoque dici,
Pugnare hæc secum Pontice Marcus ait.
Vt frondosa arbor quæ frondibus arbor abundat,
Cui multum est cerebri, sic cerebrosus ei est.

DE MORTE CVIVSDAM medici.

Quum iudicasset medicus ægrotum suum

Esse moriturum post duos aut tres dies,
Obiuit ipse mortem post dies duos,
At æger hosce conualescit post dies.
Vt mortis huius nuntium quidam audijt,
Et meritò, ait. nam literæ monent sacræ,
Ne iudicaris, iudicere ne simul.

IN QVENDAM.

Laudibus effertur semper tibi vita pudica,
Laudibus effertur sobria vita tibi.
Vt Maro non eadem vult laudari arua colíque,
Sic vitam hanc laudas, sed colis ipse aliam.

AD CLAVDIVM.

Ne posthac Claudi sub asello finge leonem:
Aut pete Cumanos. nam leo notus & hîc.

AD GELLIVM.

Est mihi cur placeas, cur nõ placeas quoque, Gelli.
Te doctrina mihi rara placere facit:
Et quòd habes isto multas in corpore dotes,
Hæc mihi præterea tu ratione places.
Hæc faciunt placeas Gelli mihi. sed facit vnum
Ne placeas, tibi quòd plus satis ipse places.

DE ADRIANO TVRNEBO, contrarium præcedenti.

Cur placuit cunctis Turnebus? cur tot amici
Illi, vix hostes vnus & alter erant?
Cur placuit cunctis? tot linguis lingua diserta
Tótne illi potuit conciliare viros?
Cur placuit cunctis? an quòd certare videbant
Iudicii dotes dotibus ingenij?
Cur placuit cunctis? cunctas placuítne quòd artes
Excoluit Graias, excoluit Latias?
Cur placuit cunctis? an quòd totúsque lepores
Spiraret, totus quòd lepidósque sales? (sa,
Causæ equidē sunt hæ: sed & hæc est maxima cau-
Hic placuit cunctis quòd sibi non placuit.

DE QVODAM QVI BRVTVM fuisse adulterum, ex Nasone probare volebat.

Regis apud mensam Franciſci, mentio Bruti
Crebra est, per varios & repetita dies.
Tunc quidā, Ah Brutus, Brutus, famosus adulter,
Dignúsne est epulas semper inire tuas?
Vnde probet mœchum, quærenti, rettulit illud,
Obrutus insanis esset adulter aquis.

IN AVLVM.

Ebrius est Aulus, quum sobrius: ille vicissim,
Si non ebrius est, sobrius esse nequit.
Nam quum sobrius est, tũ clamat vt ebrius, ardet
Ad pugnas, cælo miscet & ille mare.
At verò patris post munera larga Lyæi,
Tum placidus carpit munera somne tua.

IN EVNDEM.

Libertatem auro malè vendi totius orbis,
Nunc dicis: serò sed nimis Aule sapis.
Vendita nanque tibi est, non auro totius orbis,
Sed quantum possint prendere tres digiti.
Tam caræ Aule rei carus si venditor esses,
Solari damnum quod tibi posset, erat.
Nunc miser hoc magis es, quanto aurũ totius orbis
Maius eo est prendunt quod tibi tres digiti.

DE QVODAM MEDICO.

Audite ô medici factum mirabile nostri,
Cui par à nostris non memoratur auis.
Me quoties tangit, febri dum exuror anhela,
Mox calor abscedit, me repetítque rigor.

Quas artes didicit? tanta vnde potentia tactus?
Dices: an magicis vtitur auxilijs?
Non magico id cantu, Circæis non facit herbis,
Sed niuibus Scythicis frigidiore manu.

DE DVOBVS FRATRIBVS decoctoribus.

Postquam sunt Aulo, sunt omnia perdita Paulo,
Quæ fuerant longo parta labore patri,
Vitæ subsidium ne desit fortè futuræ,
Ille artem legum discit, at hic medicam.
Mox ad perdendi sed vterque reuertitur artem:
Ille etenim causas perdit, at hic animas.

IN POSTHVMVM.

Esse tuos dicis limatos Posthume versus:
Hoc tamen è multis credere nemo potest.
Scilicet ignorant quídnam tibi lima vocetur,
Limanda & quónam sint tua scripta modo.
Nanque vt erant olim pro pectine rastra Cyclopi,
Pro lima certè sic tibi serra fuit.
Aut pro denticulis ingentes Posthume serræ
Limam illam dentes tunc habuisse reor.

DE MORIONE QVODAM DOminum Episcopum, dominum suum reuerendiß. risui exponente.

Morio quum domini petijſſet mane cubile,
(Morio qui domino præſule dignus erat)
Quattuor eſſe pedes, contrectans, ſentit: (habebat
Cum domini pedibus chara puella ſuos)
Clamat & attonitus, Vicinia tota caueto:
Monſtrum ingẽs nox hæc nõ bene fauſta dedit.
Factus herus quadrupes. ſi non mihi creditis, oro
Vt faciat verbis ipſa lucerna fidem.
Qui de alijs domino riſum præbere ſolebat,
Nunc domini non eſt morio, ſed populi.

AD M. V. MARTIALEM.

Quæ primum inter aues narrans mereantur honorem,
Et cui quadrupedum ſit tribuendus, ais,
Inter aues turdus, ſi quis me iudice certet,
Inter quadrupedes gloria prima lepus.
Si non mentiri prudénſque ſciénſq; volebas,
Haud tibi dum perdix Marce comeſus erat.

IN AVLVM.

IN AVLVM.

Dum tali tantóque librum dignaris honore
In quo Muſa tua eſt (ſi tamen vlla tua eſt)
Riſum (crede) paras & rhonchos, ſat quibus Aule
Cognita Muſa tua eſt. (ſi tamen vlla tua eſt)
Vtq; alij taceant, ipſo te iudice, ſæpe
Barbara Muſa tua eſt. (ſi tamen vlla tua eſt)
Multa ibi, multa ibi ſunt inuita ſcripta Minerua,
Lapſa vbi Muſa tua eſt. (ſi tamen vlla tua eſt)
Quin & humi ſemper reptat, ſempérque ſupina,
Languida Muſa tua eſt (ſi tamen vlla tua eſt)
Ergo tuum hoc librum quando dignaris honore,
Iro das Cræſi das chlamydémve Gygis.

AD PETRVM, DE AVlo ipſum laudante.

Illaudatus eris Petre, laudatore ſub Aulo.
Laus à laudato eſt nanque petenda viro.

DE QVODAM MEDICO.

Ex aſſe hæredem medicum quia fecerat æger,
Tardigrado ad mortem clamat abire pede.
Quid faciat? properétne illi per pharmaca mortẽ?

Hoc nequeunt eius pectora ferre nefas.
Euentum expectet? quid si reualeſcat, & ægro
Viſa ſibi quæ ſint, irrita facta velit?
Sic dubius pendet: donec dubitatio tandem
Sublata vnà ipſo cum dubitante fuit.
Sed mortem falli, quæ teſtatore relicto
Hæredem raperet, iam moribundus ait.

DE QVADAM PVELLA.

Pulchra licet non ſim, multis appareo pulchra,
Arcæ quum ad ſpeculum conſpicior patriæ.
Talia iactabat quædam perſæpe puella,
Cui patris in nummis ſpes ſua tota fuit.
Nunc pater amiſit nummos, ſpem amiſit & illa.
Nanque nec apparet pulchra puella, nec eſt.
Moribus at contrà quæ formæ damna rependit,
Quod nullo amitti tempore poſſit, habet.

IN POSTHVMVM.

Poſthume ſobrius es, vis ebrius eſſe videri.
O quàm ſobrietas inſidioſa tua eſt!

IN PONTICVM.

Non conſtare aiunt multi te Pontice mente:

Constare at mentem Pontice dico sibi.
Nam malè quæ sana est, sicut prius esse solebat,
Constare hanc mentem quis sibi (quæso) neget?

DE QVODAM QVI DVcebatur ad patibulum.

Ad mortem trahitur dum quidã, dum superéstq;
Par spatium vitæ, par spatiúmque viæ,
Peste infestatur platea hæc, quãtum audio, dixit.
Pertransire illam non ego sustineam.
Alea de dulci subeatur cur mihi vita?
Cur adeam tetræ certa pericla luis?
In cruce post vnam moriendum cui fuit horam,
Post paucos metuit peste perire dies.

DE FRANCISCANIS.

Qui Franciscanos resti se cingere iussit,
Illorum prauum nouerat ingenium.
Ante oculos restim voluit versarier illis,
Súbque metu semper viuere carnificis.

DE AVLO INEPTE diuitem se simulante.

Diues, sed parcus fuit olim creditus Aulus,

Dum scit pauperiem dissimulare suam.
Ex quo diuitias simulauit tempore magnas,
Non parcus, sed inops creditus ille fuit.
Ergo artem iubeo repetas nunc Aule priorem,
Dissimulésque iterum. nam simulare nequis.

DE QVODAM EPISCOPO.

Mystica missificis eradi sueta corona
Ante necem (nostri degraduare vocant)
Fortè fuga quidam præuenit iudicis iram:
Sed mortem effigies iussa subire fuit.
(Ex fœno illa fuit) properauit episcopus ergo,
Fungi eradendi munere cuius erat.
Effigiem toruè aspectat, stomachánsque recedit:
Atque hæc discedens paucula verba refert,
Stramineus vobis quærendus episcopus vsquam,
A quo fœneus hic degraduetur homo.

IN PONTICVM.

Sordet Naso tibi, cultus sordétque Tibullus,
Et sordet Flacci musa canora tibi.
Cynthia cui canitur, sordet tibi: sordet & ille
Lesbia per cuius carmina nomen habet.

Ne longum faciam, Latiorum cætera vatum
Dempto vno sordet turba Marone tibi.
Verùm ego verius hos à te sordescere dicam,
Illotis tractas Pontice quos manibus.

IN AVLVM.

Est tibi charus honos, facis omnia propter honorẽ,
Vt dicis: gratis nil tamen Aule facis.
Hac ratione equidem (si vis modò vera fateri)
Non tibi charus honos Aule, sed ὄνος erit.

DE QVODAM.

Carmina quũ sua sit sibi conscius haud bene nata,
Miscet amicorum deteriora suis.
Sic malè formosi mulier sibi conscia vultus,
Ancillam formæ deterioris habet.

DE PHYLLIDE, QVAE quinto post nuptias mense pepererat.

Ante legitimum statúmque tempus
Quum puerpera facta Phyllis esset,
Infamauit eam per ora vulgi
Rumor continuò vagatus iste,

Nuptias fuit ante nupta Phyllis.
Sed ridens mulier, capútque motans,
Pauca hæc rettulit illa nuntianti:
Computat malè vulgus imperitum.
Nuptiarum etenim mei mariti
Quinque præteritos amice menſes
Quinque menſibus addito mearum:
Non partus decimi ſit iſte menſis?

IN QVENDAM.

Omnibus es notus, tua longè fama vagatur:
De te ſermones angulus omnis habet.
Prætereunte etiam te crebrò dicitur, Hic eſt:
Et bibis hos auida ſcilicet aure ſonos.
Sed malè te noſti. nam te (mihi crede) pudebit,
Eſſe alijs notum, quum tibi notus eris.

IN PAVLVM.

Lautè omnes tractas, menſa eſt non lautior vlla,
Lautitiis miris, deliciiſque nouis.
Nam licet apponas patinas vel vilis omaſi,
Lautitias illud deliciáſque vocas.
Ergo relinquere me (libet hoc monuiſſe) palatum
Paule domi iubeas, quando vocatus ero.

Nanque meum quod nil scit dissimulare palatum,
Talia dicenti credere posse negat.

DE PICTORVM DVORVM contentione de sua arte.

Inter pictores orta est contentio doctos,
Edere posset vter doctius artis opus.
Potantem hic, aliud facientem pinxit at ille.
Iudicis ante oculos sistit vterque suum.
Qui postquam illius tabulam peruiderat, Ecquid
Tam bene picto homini vox nisi desit? ait.
Tunc alter, ceu victor ouans, Quid deficit istum?
Quis vocem potans edere (quæso) potest?

DE AVLO FACTO PAVPERE, nimio ostentandæ opulentiæ studio.

Ostentabat opes cunctis magis ac magis Aulus,
Dum nimium metuit ne videatur inops.
Luxu vestitus, luxu quoque plena supellex,
Ipsa etiam luxu mensa referta fuit.
Fecit, ita ostentans, vt nil ostendere posset.
Quidnam alij ostendat? nil videt ipse domi.

IN PAVLVM SERMONE affectato vtentem.

Non bene, ſed nimiũ loqueris bene (crede peritis)
Ambitioſa artis dum tibi lima placet.
Eſt ſua natiui ſermoni gratia næui:
Is bene non loquitur qui bene Paule nimis.

IN EVNDEM.

Ad cœnam inuitans, crudum te mox ais eſſe:
Reſpondere Volo ſic tibi Paule vetas.

IN EVNDEM.

Heſterna quum nos ad cœnam luce vocaſti,
Dicebas vmbris pluribus eſſe locum.
Sed nobis & eis pariter quas duximus vmbris,
Pro cœna cœnæ vix leuis vmbra fuit.

IN EVNDEM, ET eiuſdem argumenti.

Vſque tuæ menſæ locus eſt & pluribus vmbris,
Vt Flacci verbis mos tibi Paule loqui.
Enectos ſed Paule fame quum menſa remittat
Nos tua, ſi libeat nunc tibi vera loqui,

Vmbrarum hic locus est, potius dic, voce Maronis.
Pallentes vmbras nos tua mensa facit.

DICTVM MVLIERIS CVIVSDAM, reprehensæ quòd immorigera esset.

Dum quædam cerebrosa diu reprehenditur vxor,
Nec satis officij dicitur esse memor:
Quid de me queritur coniux? quod vult, volo, dixit:
Imperium is sibi vult, id volo & ipsa mihi.

IN GALLAM.

Vidisses speculi si nunquam in imagine vultum,
Vnde superbires nil tibi Galla foret.
Sic grauis haud esses in te vertentibus ora:
Queis tamen haud grauis es Galla futura diu.
Deiectrix fastus, quæ fastum nunc dat imago,
Tunc tibi quum rugas increpitabit, erit.

LEPIDVM GERMANI CVIVSDAM dictum.

Temperet vt lympha vinum dum fortè monetur
Germanus quidam, talia verba refert:

Si veſtes ingreſſa adeo ſolet eſſe moleſta,
Pernicies ſtomacho quantáque peſtis aqua eſt?

IN QVENDAM.

Non breue reſpondes vnquã ſed longum Ita, vel
Próq; vno verbo reddere multa ſoles. (Non:
Hinc fit vt ipſe itidem dubius ſim tempore longo,
Vlla tuis verbis an tribuenda fides.

AD PASQVILLVM.

Vnde tibi hæc Paſquille ſilentia? Pythagoriſtes
Factus es? an lingua eſt muta repentè tua?
Lingua manet qualis fuerat, nec Pythagoriſtes
Vel ſum, vel fieri (tu mihi crede) velim.
Sed me materiæ largiſſima copia turbat,
Nec ſcio principium debeat vnde capi.

AD QVANDAM.

Quum nondum ſcirem quid amoris tela valerẽt,
Quum me, ceu torrens, abripiebat amor,
Dicebare mihi mea lux, mea vita, meum cor:
Auribus atque dabam talia multa tuis.
Nunc ſcio quid ſit amor: nunc crux mea diceris, & mors.
Nam per quam morior, quî mihi vita foret?

DE GELLIA.

Vult dici virgo decimum post Gellia lustrum,
Idq́ (reor) nomen vendicat illa sibi:
Non quòd ad hos castum corpus seruauerit annos,
Sed quòd nulli vnquam nupserit illa viro.

DE CVIVSDAM MARCI poemate.

Illi operi Marci clam Phœbo clámque Camœnis
Imposita est tandem Galle suprema manus.
Nunc superest (ánnon mirum τοῦτο δεύτερον *hoc est?)*
Libri in calce deos vt vocet auxilio.
Sed quos ex multis potius vocet, atque deósne
Inuocet, ánne deas, me rogat assiduè.
Fœminea (aio illi) si sunt tua scripta, vocato
Diuas: at si sunt mascula scripta, deos.

IN QVOSDAM SE mutuò laudantes.

Bardi estis, tardi, stupidi, stolidíque, Midæq́
Digni quos Phrygio reddat Apollo pares:
Alterum & interea permulcet laudibus alter.
Sic asinos asini nempe fricare solent.

IN PONTICVM.

Multa equidem fiunt à te dignißima laude.
Hoc nemo neſcit Pontice, nemo negat.
Hoc quum omnes norint, cur non laudaris ab vllo?
Alterius laudem præuenit vſque tua.

IN EVNDEM.

Magna ſonas de te, promittis maxima ſemper:
Neſcio quid ſemper Pontice grande paras.
Rideo quum dicis Faciam: ſin dicere Feci
Auſis, mendacem te vocitabo virum.
A quo etenim tempus conſumitur omne loquẽdo,
Is (quæſo) factis quando vacare qüeat?

IN MAXIMVM.

Mirantur te omnes, hoc nomine nempe ſuperbis:
Atqui mirantur Maxime monſtra quoque.

IN MARCVM.

Quòd voco te iuris doctorem vtriuſque, ſuperbis:
At de ſorbilibus iuribus ipſe loquor.

IN EVNDEM, ET eiusdem argumenti.

Quòd iuris vtriusque te vocauerim
Peritum, honorem ne tibi dari puta
Vnde insoleſcas atque ſumas cornua.
Peritiorem cenſeo meam coquam
Et iuſculorum & plurimorum iurium,
Sint illa ſiue carnium ſeu piſcium.
Vorare tu tantùm, illa & apparare ſcit.

DE QVODAM QVI clyſterem ebibit.

Clyſterem ad quendam cui nec de nomine clyſter
Notus adhuc fuerat, pharmacopola tulit.
Atque parũ prudens, Clyſterẽ hunc ſumito, dixit.
Verùm hac ánne illac ſumeret, id tacuit.
Quúmque pedẽ vix dũ mouiſſet limine, promptè
AEger clyſterem corripit, atque bibit.
Nunc, Hippocraticis quos impalleſcere chartis
Iuuit, quos chartis docte Galene tuis,
Soluant nodum iſtum: num qui ſic ſumptus ab illo
Clyſter, clyſteris nomine dignus erit.

AD ANTONIVM, DE PAVlo dicente se fastidire opes.

Quòd fastidit opes Paulus, tibi pauper habetur:
Non ideo pauper creditur esse mihi.
Vt saturo subeunt potius fastidia ventri,
Sic fastidit opes qui satur est opibus.

IN QVENDAM.

Ex animo semper loqueris quodcunque loquaris,
Vlla tuis verbis si tribuenda fides.
O quo nil nostro magis est mirabile seclo,
Ex animo loquitur cui nihil est animi.

DE MARCO CORRIPIENTE primam syllabam nominũ Facundia & Facundus.

Dum laudaretur Marco facundia Galli,
Fraudata est metro vox ea sæpe suo.
Laudibus at tandem miscens vbi vota, precatur
Vt longùm hæc terras lingua facunda colat:
Tunc ego, Quam terris lõgùm vis Marce morari,
Omine non fausto cur facis esse breuem?

IN ZOILVM.

Inuidia in miseros si nulla est Zoile, musam
Iste tuus miseram dens negat esse meam.

IN EVNDEM.

Inuidus iste tuus nulli dens Zoile parcit,
Cuius scripto aliquis sit locus inuidiæ:
Scriptis nemo tuis par Zoile rettulit vnquam:
Inuidiæ inuidit nam tibi Musa locum.

IN QVENDAM.

Quòd sanitatem sæpius tibi precer
Mirare, quum te nouerim esse corpore
Quo nec vel ipsa sanior sit sanitas.
Constare te nescis & animo & corpore?

DE DES. ERASMO ROT.

Ingenium in promptu (quis nõ fateatur) Erasmo,
Iudicium in promptu, linguáque prompta fuit.
Extitit hinc magnus, magnúmq; est nomen adeptus,
Et secli decus hinc extitit ille sui.
Magnus at in rebus ni tot voluisset haberi,
Multo equidem maior (crede) futurus erat.

DE BVDAEI COMMENT. Græcæ linguæ.

Lutetia in media, mediis ceu natus Athenis,
Hic illas ipsas Attica verba docet.

DE IISDEM.

Vsum Græcia te docuit Budæe loquendi,
Hoc à te est artem Græcia docta libro.

DE COMPARANTIBVS INter se Erasmum & Budæum.

Quæritur an magno maior Budæus Erasmo,
Budæo an contrà maior Erasmus erat.
Magnus vterque fuit, sed re non magnus eadem,
Non eadem laudis materiésque fuit.
In quibus hic magnus, magnus non ille fuisset:
Nec magnus foret hic in quibus ille fuit.

IN AVLVM.

Herbida cœna à te nobis apponitur Aule,
(Ni cœnam malis dicere gramineam)
Et multa interea ventres aduersus obesos
Declamas. quid tu, quid (precor) Aule times?

An

An me ne efficias Epicuri de grege porcum,
Ex Epicuri hortis dans olus omne mihi?

IN EVNDEM.

Conuiua es quoties, grata est tibi prodiga cœna:
Quum conuiuator, parca & auara placet.
Vnde hoc? actiuus (liceat sic dicere) luxus,
Sed non passiuus displicet Aule tibi.

IN EVNDEM.

Promittit multos iam nunc tua Musa triumphos,
Quos tibi de multis hostibus Aule feret.
Non sic Archilochi rabies est vlta Lycambem,
Non sic Hipponax Bupalon vltus, ais.
Atqui si bene te nosti (mihi crede) triumphos
Pygmæe in solas polliceare grues.

IN QVENDAM.

Frustra librum ornas tam pulchro tegmine: vestis
Reddere Thersitem Nirea pulchra nequit.

IN POSTHVMVM.

Cautum te appellas, cautum te Posthume iactas:

Nomen apud cunctos illud habere cupis.
Atqui non cauti est hominis se dicere cautum:
Incautum potius se vocitare solet.

IN EVNDEM.

Affectata tibi semper sunt Posthume verba,
Próque decem, centum fundere sæpe soles.
Hæc tibi nempe placent, auris quia putida, iudex,
Et probat hæc quicquid putida lingua probat.
Sola sit auditrix ergo, solíque loquaris,
Lactucas habeant vt tua labra suas.

IN EVNDEM, QVOD lingua duntaxat sit audax.

Si quantū lingua, manibus sis Posthume pugnax,
Mox tibi succumbat vel Telamone satus.
At solo quum sis metuendus verbere linguæ,
Quæ didicit tumidas increpitare minas,
Nequa manus tandem linguæ respondeat isti,
Quære Hermas in quos sic tua lingua tonet.

IN EVNDEM, EODEM argumento.

Promptus es in cunctos iactare tonitrua lingua,

Hísque armis tutum te satis esse putas.
Sed caue ne tandẽ manus in te Posthume victrix
Fulminet illorum, dum tua lingua tonat.

IN EVNDEM, EODEM argumento.

Siqua est gens solis ineat quæ prælia linguis,
Deliget hæc sibi te Posthume iure ducem.
Nullæ quas metuas occurrent Posthume linguæ.
Nanque θρασυγλώσσων *tu* θρασυγλωσσότατος.
Sed tibi quũ manuum solã trepidetur ad vmbrã,
Quid facies, hostes si θρασύχειρες *erunt?*

IN PAVLVM.

Res ipsa hoc loquitur, res ipsa hoc clamat, vt in-
Re tanquã pro te Paule loquente satis. (quis,
Fallor ego, an potius loquitur res, res tibi clamat,
Quum non est posßis Paule quod ipse loqui?
Ipsam nanque potes si rem tu audire loquentem,
Quid sit quod loquitur, quæso loquare mihi.

IN QVENDAM HORRIficè mendacem.

Parcam tibi, parcam, & loquar ἀψευδεστάτως,
Si te esse mendacem, vel esse dixero

ψδυσμν, ut alios dictitamus plurimos.
Mendaciorum nanque non tantummodo
Est officina lingua turpium tua:
Sed ipsa linguam veritas tuam fugit,
Et expauescit os tuum sic veritas,
Vt agna fugiat non magis pauens lupum.
Quamobrem? ab ore quum tuo mendacia
Exire tantùm conspicatur hæc, timet,
Ingressa in illud, inde mendax egredi.

IN PAVLVM.

Te vocito parcum, nummûm quia parcis aceruo.
Quídnam conquereris? nónne loquor propriè?
Tu mihi ventosus, leuis es quia Paule, vocaris.
Quídnam conquereris? nónne loquor propriè?
Vxori pares, vxorius es mihi dictus.
Quídnam conquereris? nónne loquor propriè?
Dictus es impostor, multos quòd fallere gaudes.
quaris,
Quídnam conquereris? nónne loquor propriè?
Dictus es & mendax, quòd nunquam vera lo-
Quídnam conquereris? nónne loquor propriè?
Auribus apta magis mulcendis plurima verba
Dicam Paule tuis, sed loquar improprié.

IN ANTONIVM.

Diceris Antoni multos componere libros,
Non multum laudis ferre sed inde tamen.
Hoc mirum est aliis: at non ego iudico mirum:
Quámque rear causam non reticere libet.
Laturos laudem qui vult componere libros,
Nempe is composita sit bene mente decet.

IN CLAVDIVM.

Præfationem quam tuo dabas libro,
Nuper vocaui & credidi librum tuum:
At nominatur qui tibi Claudi liber,
A me est vocatus illius præfatio.
Ignosce quæso. nescij te ianuam
Maiorem habere velle Claudi quàm domum.

DE PHILIPPI CVIVSDAM morte, summè auari.

Non gemit ob mortem cui vita simillima morti,
Sed quòd sit gratis mors morienda dolet.

DE EODEM.

Nummis parcat vti suis Philippus,

Perfert esuriem libens inemptam,
Et sitim tolerat libens inemptam,
Somni súbque dio placent inempti.
Nummis parcat vti suis Philippus,
Nulla à frigore sæuiente corpus
Defendit tunicáve pallióve,
Sed frigus patitur libens inemptum.
Nummis parcat vti suis Philippus,
Nullum dum moritur capit trientem,
Vt fraudare queat Charonta naulo.
Cymbam sed renuit Charon inemptam:
Ad nos ergo iubet virum reuerti,
Et rursúmque mori, duplúmque morte
Ipsi pro duplici referre naulum.
Nummis parcere sic volens Philippus,
Ipsam bis rapuit sibíque vitam,
Emit bis moriens sibíque mortem.
Si verum tamen intuemur, vnà,
Quanuis bis perit, est adempta vita.
Nam vita est ea, semiuita tantúm.

DE CORNELIO.

Vxorem vocitat dominam Cornelius, illa
Increpat vt famulum, verberat vt famulum.

Obsignat sic verba sui Katharina mariti,
Nec vanum titulum quem gerit, esse docet:
Sed contrà, eius habẽt hæc quantũ verbera põdus,
Tantum verba sui pondus habere viri.

AD EVNDEM.

Vxorem, dominam Corneli sæpe salutas,
Verberibus sæpe hæc excipit vt famulum.
Quid quereris? vult illa tuis applaudere verbis,
Vtraque, hæc quàm sint vera, probátque manu.

AD EVNDEM.

Cur dominã aduersus Corneli es semper inaudax?
Cur non respondent verba verberibus?
Τὸν δ' ἀπαμειβόμενον, *iam dictum plus satis antè est:*
Nunc age dicatur, τὸν δ' ἀπαμειβόμενος.

EX GRAECIS EPIgrammatis eiusdem Henrici Stephani.

ΕΙΣ ΤΙΝΑ ΠΑΥΛΟΝ ΛΑΙΜΑΡΓΟΝ, τὴν πατρῴαν γῆν καταφαγόντα.

Οὐκέτι πατρῴα ἐν γαίῃ Παῦλε παφήσῃ·
Γαστέρι γὰρ γαίῃν πᾶσαν ἐνέδαψας ἐῇ.

ΕΙΣ ΤΙΝΑ ΔΙΑ ΣΤΟΜΑΤΟΣ ἀεὶ ἔχοντα τὴν παροιμίαν, Τὰ τῶν φίλων κοινά.

Κοινὰ τὰ τῶν φίλων φῄς εἶναι· φημὶ δὲ κἀγώ·
Ἀλλά σοι οὐ κοινῶν φημὶ ἔμμεν φιλίων.

ΕΙΣ ΤΟΝ ΑΥΤΟΝ.

Καλά μα θεῖν βούλει, δεινάσειν δ' οὐ. θαῦμα τόδ' οὐδέν·
Αὐτοφυῶν πρεσπίδες σοὶ πλέαι εἰσὶ κακῶν.
Καλά μα θεῖν πόθεων, ἐπιμαίεται νῶν κακὰ πρέσβυν·
Ὄφρα ἐς ἀγχιῆον καλὰ δέχοιο κενόν.

ΕΙΣ ΤΙΝΑ ΝΕΟΝ ΠΑΙΔΕΙΑΣ ὑπὲρ τὴν ἡλικίαν δυ ἥκοντα.

Φεῦ, πῶς ἀνεπίης, σοφίης πῶς ἐς μέτρα πάσας
Ἐν μέτρῳ ἡλικίης ἵκεο πασσαπίῳ;

Μήποτε ἄμμε λέλιθας αἰὴρ πεκόρωνος ὑπαρχων.
Οὔτε μεσαιπόλιος καὶ δοκέων τορ ἔμμι;
Οὐκ ἄρα τοτ' οἴω· μᾶλλον δὲ λέλιθας ὑπάρχων
Τᾶις τρεσαπίδεσσι γέρων ἐξέπτυπτέκης.

ΠΡΟΣ ΤΙΝΑ, ΠΕΡΙ ΤΗΣ ΑΥΤΟΥ γυναικὸς αἰχρᾶς οὔσης, ὄμφης δὲ μοιχευτελίας.

Τῶν μὲν παλαιῶν εἷς τις σοφῶν τόδε·
Κοινὸν γε ἔξεις, ἢν καλὴν γήμας τύχῃς,
Ἔξεις δὲ πικρόν, ἢν γαμῇς δυσειδέα.
Μεταιρέφει δὲ τόνδε σὴ γυνὴ λόγον.
Κοινὴ γὰρ ὀδύνη, καὶ δυσειδὴς ἐφ' ὅμφης·
Ποινὴ δέ σοι οὔ. πῶς γὰρ; ᾧ καλὴ δοκεῖ.

ΠΡΟΣ ΤΙΝΑ, ΠΕΡΙ ΤΟΥ αἰεξικάκως φέρειν τὰ κακά.

Φερέκακον οὔ σέ φημι πολλοῖς ἐν κακοῖς,
Ἀεί τε καμνοῦ καμὼν ἐν πείρᾳ κακοῦ·
Μᾶλλον δ', πολλῶν σοι ὑπαρχόντων κακῶν,
Ἓν τοῦτο παύτα φημὶ ὑπερβάλλειν κακά,
Τὸ γ' ἀγνοεῖν σε πῶς φέρειν χρὴ παῦ κακόν.

ΕΙΣ ΟΡΓΙΛΟΝ ΤΙΝΑ διδάσκαλον.

Διδάσκαλοι πάλαι πνὲς ἀοργησίας
Ἐοῖς μαθηταῖς ἦσαν ἄνδρες παύσοφοι·
Ὅπως δ' ἐσσφέρῃ δ' ὀργίλως οὕτω τεοῖς,
Ὀργῆς γε φαίνῃ πυγχανῶν διδάσκαλος.

Ἢ ὑπομάθῃς οὗτος τις δὲ οὐκ ἔχεις ὅπως,
Ἢ μὴ κάλει σὴν ἐς χολὴν, ἀλλ' ἐς χολήν.

ΕΙΣ ΤΙΝΑ ΠΟΙΗΤΗΝ σκαιόπαιον.

Ἐπὰ μὲν ἀμφὶ πάφοιο πόλεις ἥλωσαν Ὁμήρου,
Πᾶσαι δ' ἀμφὶ ποδ' ἁμιλάσιοισι Πάφου.
Ἀλλὰ πόλεις ἑλόσαντ' ἀπὸ πάφον ἑπὰ ποδοδσαι,
Σοδ δ' ἑλόσιοισι πάφον πᾶσαι ἀναμόμβαι.

ΕΙΣ ΤΟΝ ΑΥΤΟΝ.

Ψεύδεα πολλὰ λέγλν φὴς εἰδέναι, ὥστερ ἀοιδοῦ
Οὐδὲν ὅμοια κακὸν πούπου ἄξιος ὢν λαχέειν.
Ὧδε λέγλν ταῦθ' ὥστε δοκεῖν ἐτύμοισιν ὁμοῖα,
Ἀνδρὸς κεν φαίλω ἔμμεν ἀοιδοπόλου.
Νῦν δ' ἦρ' ἀληθείης πλέες γε ὀδώδασι μῦθοι,
Φεῦ καὶ ἀληθείη μύθου ὄδωδε πέλει.

ΠΕΡΙ ΤΟΥ ΗΡΟΔΟΤΟΥ. ὡς ψευδῆς αὐτόν.

Ἄφρων ὃς ψεύστην σε καλεῖ, ὅτι πεύθεται ἄλλου.
Καὶ τί γὰρ εἰ ψεύστην ψεύδεται ὅς σε καλεῖ;
Εἰ δὲ παλαιὰ λέγει δεδαημένα αὐτὸς ἄμεινον,
Πάμψηφει ψεύστης αὐτὸς ἄλεκτρυὼν ἐών.

ΠΡΟΣ ΑΜΜΩΝΑ ΤΙΝΑ ΓΡΑ-
φέων παίπων καλλιγραφίᾳ διαφέροντα.

Ταῦτα πίερῳ χιὼς καὶ οὐ κύκνοιο χραίστεις
Ἄμμων, τοσταπίοις δαιδαλόεντα ἔπεσι.
Ἀλλ' ὅσῳ χιὼς ὑετοφερέστερός ἐστιν ὁ κύκνος,
Τόσῳ πᾶν ἕπερον σὺ ὑετοφέρεις γραφέων.

ΑΔΡΙΑΝΩΙ ΤΟΥΡΝΗΒΩΙ.

Τουρνήβῳ Ἐρρίκος βίβλον δωρήσατο τήνδε,
Σμικρὴν ὦρ φιλίης μάρτυρα παμμεγάλης.

ΤΩΙ ΑΥΤΩΙ.

Μνημόσυνον τόδε σοὶ μικρόν γ' ὦ φίλε λέλοιπα.
Οὐ σμικρῆς ἄρ ὅμως μνημόσυνον φιλίης.

ΕΙΣ ΤΙΝΑ ΦΘΟΝΕΡΟΝ.

Ὀλέθριον μὲν κτῆμα τοῖς ἄλλοις φάνος,
Τοιωυτόν δὲ σοί γε χρησιμώτατον.
Τοῖς μὲν γὰρ ἀγαθοῖς χειτόνων οὕτω φθονεῖς,
Ὥστ' οὐ χολάζειν σοῖς κακοῖς ὀπτεύειν.

ΕΙΣ ΦΕΙΔΥΛΟΝ ΤΙΝΑ,
φειδωλότατον.

Παντοίων καμάτων μόχθων τε κακῶν τε ἀφειδεῖς
Ἐς γε τὸ φείσασθαι Φείδυλε σῶν ἀγαθῶν.
Καὶ ὅσσῳ μᾶλλόν σοι αἰέξεται χήματα, φοῦ φοῦ,
Τόσσῳ ἀχρειότερον, φοῦ φάλας, ὄλβον ἔχεις.
Πῶς μόρον οὐ δείδιες; ἀδαίμονα θήσεαι ἀφειδῶς
Μακροτέρου δαίμων φειδόμενος βιότου.

ΠΡΟΣ ΣΑΠΦΕΙΡΟΝ ΟΝ ΑΠΟ-
βαλὼν αὖ ἐκτήσατο.

Χαῖρε λίθων σάπφειρε ἐμοὶ πολὺ φίλτατε παντων,
Χαῖρε φάος φίλον τοῖς φαέεσσιν ἐμοῖς.
Γλαυκιόων σάπφειρε θεοστόπασιν ἄμμιγα πολλοῖς,
Χαῖρε, πόθ' ὑξαιδρῳ νωῒ παλίνοστος ἐών.
Ἀλλὰ πίν' ὦ σάπφειρε μεπαράσης ἴκελο γαίλω;
Τίς δέ σοι αὖτ' ἐμοῦ ἰῶ φίλου αὖ ακτος ἀὖ ἄξε;
Μήποτε σὶ οὐ ζώντης ἄλλῳ μεταμείλαο ἄνακτι,
Εἰς αὐτὸν δὲ φυγὼν αἰθερα εἰσανέβης;
Καὶ ὅπ μείζονα νωῒ ἀμοιρύγματα πᾶσ' ωρὶν ἰάλλεις,
Τοῦτό σοι αἰθερίου δῶρ' δίδαγμα φάους;
Μὴ πάλι τὸν σὸν αὖ ἄκτα λιπὼν εἰς αἰθερα φεύγης
Εἰς γὸ τόνδε πόθεῖ σοι σεω ὀπαδὸς ἰμὸν.

ΠΡΟΣ ΤΟΝ ΑΥΤΟΝ ΣΑΠ-
φειρον, ὅτε θυρέθη.

Φεῦ, ἀποχωρήσαντος ὅσην παθὴν ἴκετο σεῖο·
Χάρματα πῶς ἅμα σῇ συμπεφυγόν με φυγῇ.
Καὶ πάχα πεῖσαν ἐμοὶ λαβέειν ἐθέλεσκες ἔρωτος,
Χάρματα ὡς μετὰ σοὶ νωῒ παλίνοστα λάβω·
Νωῒ ἄρα ὀφθαλμοῖς πολὺ φίλτερον ἐστὶ θέαμα,
Φίλτερον ἠὲ ποθῆ χρεὶ φόρημα πέλεις.
Ἀλλ' ἔμπης σὺ φυγὼν ὄπιβάλλεο μήποτε πίλῳ·
Ἤ γε δίκην δώσεις δραπετίδ ησιν ἴσην·
Καὶ ὅπῳ ἐν σκοτόεντι σιδήρεα δεσμὰ φορήσεις,
Ὅς νωῒ χρυσοφορεῖς, καὶ φάος εἰσορέας.

ΕΚ ΤΩΝ ΤΟΥ ΑΥΤΟΥ ΕΠΙΤΑΦΙΩΝ ΕΠΙΓΡΑΜΜΑΤΩΝ.

ΟΡΑΤΙΟΥ ΤΟΥ ΦΑΡΝΗΣΙΟΥ

Αὐσονὶς αἶα βίου πόρεν ἀρχήν, τέρμα δὲ Κελτίς·
Τὸν θάνατον μὴν Ἄρης, τὸν γλυκὺν ἠ βροτοί.
Εἰ δ' ἔπνεῦν ζώοισιν οἱ ἐν Μαραθῶνι πεσόντες,
Εἰ ζώειν κείνων οὐδὲν ἐμοὶ καὶ ἀρετή,
Τοῦτο τὸ τέρμα βίου, βίου ὄντως ἔπλετο ἀρχή.
Ἀρχὴ γὰρ βιότου ὁ κλυτὸς ὅδε μόρος.

ΚΟΝΡΑΔΟΥ ΤΟΥ ΓΕΣΝΗΡΟΥ.

Ὠμογέρων Γεσνῆρε ἀπώλεο, ἠδὲ θεόωρος·
Οὐδ' ἄρα μοι εἴδιον μοῖρ' ἀνέμεινε χρόνον.
Ἀλλά σε καὶ πεικόρωνον ἐρεῖ Γεσνῆρε γλυφέσθαι,
Ἐκ σῶν μετρήσας σὸν βίον ἐκ καμάτων.

ΑΔΡΙΑΝΟΥ ΤΟΥ ΤΟΥΡΝΗΒΟΥ.

Τουρνήβου μὲν πρὶν κλέος ἔπλετο οὐρανόμηκες,
Νῶν δ' αὐτὴ ψυχὴ οὐρανοδρομέπις·
Καὶ γὰρ ὑπερβονίης σοφίης δεδαημένη ἄκρα,
Ἦλθε καὶ οὐρανίης ἄκρα δαησομένη.

ΤΗΣ ΜΗΤΡΟΣ.

Εἰθὰ δὲ παιομένῳ διπλοῦς μόρος εἵλε γυναῖκα.
Πῶς τόδε φῄς; καὶ γὰρ πρὶν θανέειν ἔθανεν.

Τῆς αὐτῆς.

Καὶ γλυκερὸν βιότοιο φάος καλέουσιν ἀοιδοί.

Καὶ κρυερῷ νεφέλῳ πᾶς θανάσιμο λέχος.
Ἀλλὰ σὺ Μαιονίδη ζώστης μόρον ὃν φρεσὶ θήκας,
Οὐκ αὖ ἔγωγε ποτέρου ἢ φάος ἢ νεφέλη.
Καὶ εἴ σοι γε δυοῖν ἑνὸς αἵρεσιν ὥπασε μοῖρα,
Θάτερον ἂν αὖ ἔλου, ἀλλὰ σιωαμφότερον.

Τῆς αὐτῆς.

Ταύτῳ πολλὰ καμὼν θάνατος καὶ πολλὰ μογήσας
Ἤθελεν εἰς βιότου τέρμα γυναῖκα φέρειν.
Καὶ τέλος οἱ κρυφίῳ νοῦσον καὶ ἄδηλον ἐφῆκεν.
Μήτι ἢ ἱητρῶν αἰπὰ παλαιὸν ἄκος.
Ὡς δ' ἀποτηκόμενον ψυχὴ δέμας οὐκ ἀπέλειπεν,
Δηρὸν ἔμεινε μόρος καὶ ἐπανῆλθε κενός.
Ἡ δὲ χυὴ φίλῳ ψυχῷ ὠσεσεφώνεεν ὧδε,
Μὴ τόδ' ἐμὴ ψυχὴ σῷ δ' ἐκόυσα λίπε.
Ὅστῳ γὰρ θύπτου σὺ κρείσσων σώματος ἐσσί,
Τόστῳ σοί γε δόμον κρείσσονα θῶκα ἔχω.

ΤΗΣ ΑΔΕΛΦΗΣ.

Νήπιος ὃς πατέρα κτείνας, παῖδας καταλείπει·
Τοῦτο παροιμιακὸν τὸν μόρον οὐκ ἔλαθεν.
Μητέρα γὰρ κτείνας, πάντας γε ὠλυσὲ συνέπεφνε·
(Οὔπω γὰρ ὀκ πάντων αὐτῷ ἐιώρτο φόβος)
Ἀλλὰ τὸ μητρὶ τέκνον μᾶλλον κεχαρισμένον ἄλλων,
Καὶ τὸ λαχὸν μορφῇ μητέρος οὐδὲ φυῇ.
Καὶ γὰρ ὁ ζώστα νοῶν, θέμεν τῇ μητέρι ζωὴ
Ἧς ἀμφὶ θυγατέρος μὴ παλίνοστος ἔῃ.

ΤΗΣ ΑΔΕΛΦΙΑΗΣ.

Χαῖρ' ὦ στέφος τῶν Βασίλων· ὃ ἀπώλεσας, ἀλλὰ σὺ χαῖρε
Οὐρανέ· καὶ γὰρ ἔχεις ὃ σὺ ἐπόθησας ἀεί.


HENR. STEPHANVS
lectori S. D.

Hæc ea sunt epigrammata Græca quæ Latinis subiungenda putaui, quæ si non minoris saltem esse pretii quàm vacua charta censebuntur (vacatura enim alioqui hæ paginæ fuerant) ea subiunxisse me ne quaquam pœnitebit. Poteram certè (si hoc mihi consilium fuisset) multo maiorem eorum numerum afferre: ex quibus etiam nonnulla seorsum à me non ita pridem edita fuerunt, nimirum epitaphia doctorum typographorum. in quo numero Adrianus Turnebus quũ fuerit, vel potius quum inter eos primum sibi locum vẽdicauerit, iure equidem, suo & ipse à me est ornatus epitaphio: (si tamen à musa mea proficisci aliquid potest quod tanto dignum sit ornamentum viro) epitaphio inquam diuerso à superiore.


Cæterùm & quædã menda partim à typographicis operis, partim alsunde orta, eo quod reliquum est huius paginæ spatio includenda putaui: quædam quæ ipsimet autores in quantitate syllabica peccauerunt, & nisi mutato versu emendari non possunt, audacioribus relinquendo. P. 35. v. 13, his art. P. 46. v. 13, lustratis. P. 47. v. 2. Legitur & sicula. P. 69. v. 11, magalia. nam mapalia primam habet breuem. P. 80. v. 15, Legitur & quate pro cote. Sed puto autorẽ scripsisse Scote. P. 116. v. 5, Arcana. P. 135. v. 5, tanto tu es rell. P. 148, v. 18. Præsedit, vt stet versus.

De hoc quoque monendum te existimaui, lector, ideo me quædam epigrammata de Græcis Latina facta non inseruisse alsis quæ eorundem autorum sunt, quòd illa seorsum aliaque permulta vnà cum Græcis excudere statuerim.


BIBLIOTEKA * KÓRNICKA *







BIBLJOTEKA KÓRNICKA
14032

